

John Carter Brown.
Harold Brown.

BOUND BY R.W.SMITH

[Kohlans, Tobias Ludig]

DILUCIDATIONES

quædam valde neceſſariæ

in

GERARDI CROESI

HISTORIAM QUAKERIANAM

Editæ

a

Philaletha.

Kohlhans Medico Formey Jerk. Ges.

AMSTELODAMI.

Typis impreſſæ pro JACOBO CLAUS, Bibliopola.

M DC XCVI.

CHRISTIANA RELIGIO ſeu

VERA PIETAS

Conſiſtit

non

IN hujus vel illius confeſſionis aſſenſu,
Aut cum his vel illis conſenſu,
Aut ab his vel illis diſſenſu;

SED IN * per fidem hypostaticam

*Dei in nobis * inhabitatione,*
Noſtra carnis & ſanguinis Chriſti participatione,
Per baptiſmum Spiritus Sancti directione;

Hinc in

Vera cordis contritione,
Continua ſui abnegatione,
Quotidiana crucis toleratione,
Veteris Adami mortificatione,
Novi hominis generatione.
Plena a peccatis juſtificatione,
Corporis, animæ, ſpiritus ſanctificatione,
Dei quoque & proximi dilectione,
Vitæ Chriſti imitatione,
Ac tandem æterna ſalvatione.

QUÆ. PAUCI. RITE. OBSERVANT.
PLURIMI. PARUM. VEL. MINIME. CURANT.
MULTI. QUIDEM. ORE. JACTANT.
AST. DICTIS. FACTISQUE. NEGANT.

DILUCIDATIONES

quædam valde neceſſariæ

in

GERARDI CROESI

HISTORIAM QUAKERIANAM.

QUamvis pene & forſan bene dixerim: vix ullum unquam a Quakerorum ita dictorum Antagoniſtis tam laborioſe, tam ſolicite, & in multis tam candide, tamque vere concinnatum prodiviſſe ſcriptum, quam eſt hæc *Gerardi Crœſi Hiſtoria Quakeriana*, elapſo anno Amſtelodami edita; Autor enim iſtius non ſolum a multis aliis, ſed & ab ipſis his hominibus per crebra, ſæpe horas aliquot, colloquia & ſeria & amicabilia iiſcum & quidem non infimæ inter eos ſortis, ſicut ipſe. pag. 7. lin. 17. ſeqq. innuit, quam plurima ad rem ſuam facientia percepit, ſeque ejuſmodi converſatione admodum delectatum ſuavi affabilitate, qua præ multis ſui ordinis hominibus, fortaſſis ex itinere orientali, vid. p. 302: l. 14. & 572. l. 9. ſibi acquiſita, excellere videtur, ingenue faſſus, ipſique etiam ulterius ad ipſius deſiderium non pauca hujus generis

ſcripta authentica & inſtrumenta omni exceptione majora fuere tradita mente & manu promtiſſimis, licet non raro propter negotia neceſſaria occupatiſſimis, ita ut promiſerit, ſe futurum de his ſuum tractatum, antequam prelum patiatur, iſtis hominibus omnino communicaturum

Nihilominus, pace tamen hujus Viri, mihi ob ejus haut exiguas animi ingeniique dotes percari & multum æſtimandi, dicam oportet, quod ego nullius ſectæ, ut ſectæ, Patronus, ſed tantum pronus ſeu facilis ad demonſtrandum in quacunque earum veræ doctrinæ puritatem & hominum pie credentium & viventium integritatem, quoad Divina miſericordia mihi in ſenili hac mea ætate vires & occaſionem largitura. Hinc præter omnem expectationem, autoris ipſius culpa, quæ mox ſemetipſam proditura, ac Veritatis ſplendore & amore coactus & compulſus me huic moleſto ſcribendi & ingrato oneri ſubjeci: Idcirco juſtiſſimæ huic meæ cauſæ non diffiteor, ne poſt DEUM τὸν καρδιογνώστην, tanquam inviſibilem, ipſum quoque Lectorem hujus benevolum, ſimulatque timori Dei veritatique deditum hiſce in hoc negotio Judicem implorem viſibilem & æquiſſimum.

Nollem igitur hunc latere, id quod in ipſa Hiſtoria, quantum ſcio, ſed qua de cauſa neſcio, omiſſum, ipſum nimirum hujus libri Autorem eſſe inter Religioni Reformatæ addictos præconem in pago Alblas prope Dordracum: cum tamen in eadem Hiſtoria *pag.* 572. non veritus ſit indicare ſe olim Smyrnæ ejusmodi munere functum, & quidem his verbis: *in qua, ſc: Smyrna, iſta juniore ætate aliquandiu vixi, & Domino Jeſu Chriſto miniſterium præſtiti, ac myſteria diſpen-*

penſavi Dei. An non ergo inter cætera vel ideo etiam ab ipſo, quemadmodum communis alias in ejusmodi rebus eorundem fert hominum mos, aliter fieri non potuerit, vel, ſi mavis, non debuerit, quin in hoc ſuo opere multimodis aliquid humani, leniſſime loquendo, paſſus fuerit hallucinatuſque, & id ſi non contra ſuam ſemper mentem, aſt certe aliquoties contra ſuum propoſitum.

Nam neglectum prorſus communicandi hunc tractatum ante ejus editionem ab eo promiſſum, cum tamen, etiamſi ſuis ſtetiſſet promiſſis, illæſa permanſiſſet ipſius animi libertas, quæ forſitan correcta vel edendi vel ſupprimendi; non quod iſti homines eo inſtar Apologiæ indiguerint, minime gentium, cujus neque ab ipſo neque a ſibi ſimilibus ulla ſpes, niſi ipſa veritas eos nolentes volentes ſancto in Conſcientia ſtimulo ad id, uti etiam in hac Hiſtoriarum ſerie plus ſatis liquet, adigat, ſed ſolummodo, ut ſi quidam irrepſiſſent errores notatu digni commodius emendari potuiſſent, ipſumque ſic ſcriptum majori veritatis lumine in publicum ſe ſiſtere. Nunc vero non fine ingenti labe hujus & autoris & libri falſiſſimæ deprehenduntur in ea nonnullæ narratiunculæ, quibus & autor & liber non immerito tanquam dubiæ fidei in aliis quoque & quidem certioribus certiſſimis ſuſpecti proſtituuntur. Ex. gr. p. 272. lin. 9. in Vaticinio Anglice poſitum : *Y underſtands:* & debuerat eſſe: *Yonder ſtands.* Ne autem hoc σφάλμα typothetæ imputetur, excuſat eum Latina interpretatio per: *intelligo*; & hoc contra naturam Anglici initialis Y & finalis S. ibidem, pro: *ibi ſtat.* Sic quando pag. 285. l. 2. & 438. lin. antep. ſeqq. de Guilielmo Pen-

no refertur, ipſum ex paterna hæreditate poſſeſſorem Regionis Pennſylvaniæ eſſe, ac ſecundo ſeu denuo matrimonium anno 1694. contraxiſſe. pag. 380. lin. 8. Quæque & quædam hujus furfuris alia, cuncta enim eſſet ſcribendo legendoque nimis tædioſum, ſuis notanda locis.

Porro cum autor eodem modo, quo quondam iſtis hominibus ſpeciatim & oretenus, jam quoque ſcriptotenus ſe generatim omnibus candorem animi ſui in agendo declarare viſus, & quidem in Epiſtola, ut vocant, dedicatoria his verbis:
,, Sola relatione rerum ac veritate inſiſtens ſtylo &
,, oratione ſimplici & indifferenti & vacua omni
,, affectu incedam; potiſſimum autem pag. 8.
,, ita: Sic agam, ut cuncta animo luſtrans,
,, tantum notem omnia idque breviter ſtrictim-
,, que, quæ ad conficiendum argumentum hoc
,, videbuntur conducere, utque nil quidquam
,, EXISTIMATIONI PRÆSUM-
,, TÆ, aut PRÆCIPITANTIÆ, aut
,, STUDIO PARTIUM aut aliquibus
,, AFFECTIBUS tribuam, ac omnino qua-
,, les hi homines ſint, & quid ſit habendum de eo-
,, rundem actis, ut & ſacris ſcitiſque ac moribus
,, UNIUSCUJUSQUE JUDICIO
,, relinquam. Et ſi præterea etiam initium introitus in totum opus lib. 1. pag. 3. obiter & quaſi per tranſennam aſpiciatur, ubi totius origo & ſcopus incipit his verbis: ,, Cum multa & magna certa-
,, mina ſunt Eccleſiæ, quamdiu verſatur in hoc
,, mundo, tum non aliud perinde uſitatum at-
,, que etiam difficile & arduum, quam quod pro
,, ſuæ religionis veritate contra ſuorum adverſa-
,, riorum falſitatem, junctam cum petulantia
,, atque impudentia, cogitet ſubire &c. Quis quæſo
tum

tum ſibi non infallibiliter & neceſſario perſuaſum habeat, autorem hunc per Eccleſiæ heic vocem, Quakerorum, ut de quibus jam nunc acturus, congregationem ſeu concionem, quæ Latine genuinæ ſunt *τῆς ἐκκλησίας tees Eccleeſias* denotationes; & per ejus adverſarios, ob perfectam ibi inimicorum delineationem, eorum quoque adverſarios denotare? atque eum eo ipſo quam maxime a partibus Quakerorum ſtare? & a me ideo ingrate & irreverenter factum, hunc inter honeſſiſſimos Quakerorum amicos ſtatim ab initio in numerum antagoniſtarum eorum tam aperte & expreſſe retuliſſe.

Verum enim vero ſi ex ibidem ſequentibus hæc verba paululum accuratius inſpiciuntur & perpenduntur, certum eſt, nil minus, quam hoc, ex iis colligendum, ac totum contrarium, (ecquis putet?) emergere, idque latentem ſub herba anguem, ſecundum iſtud tritum, manifeſtiſſime manifeſtare, & longe alium, & id non in minimis, quam antea perſuaſum autoris animum in apricum deducere. Quippe qui, poſtquam pag. 4. varia certamina Eccleſiæ Dei vivi, atque adverſariorum ejus, nec non defenſorum peritorum & ſtrenuorum genera enarraverat, & inter hos ultimos „ plerique, ait pag 5. ita laborave-
„ runt, ut ſolum geſta ac dogmata prodigioſa
„ prodita ab inventoribus & machinatoribus illis,
„ narrando diſcuſſerint, rati idipſum eſſe ea pro-
„ ſligare aut confodere. Sic quoque idem ibidem eadem eodem poſtmodum modo de Quakeris ſcribit. „ Quod cum ita ſit [nempe ſaltem geſta
„ ac dogmata &c.] neſcio quid ſit a tanto tempo-
„ re non modo minime multos, ſed propemodum
„ nullos uſque in hunc diem extitiſſe, qui de vul-

 „go

„ go dictis Quakeris. &c. vel quicquam comme-
„ moraverunt, nedum illorum Hiſtoriam con-
„ diderunt, &c. Et tandem pag. 6. quaſi finem occaſioni hujus Scripti impoſiturus ita concludit: „ Denique cum incertum ſit, quorſum illi „ homines [Quakeri ſcilicet. Ne patiatur tamen Lector inanibus ſe hiſce terriculamentis terreri propter hos homines, pacem quietemque, non arma, non bella, non rixas, non tumultum ſectantes] „ tandem evadant, prorſus opus eſſe, „ qui illi homines ſint, quæ res de iis geſtæ, qui-
„ bus initiis, quibus progreſſibus, & quæ ſint eo-
„ rum decreta, ſive dogmata, quæ hucuſque
„ in longa obſcuritate latuerunt; aperiri atque
„ oſtendi. Et ſic niſi penitus rectè, obliquè tamen, (alii fortaſſis dicant, aſtutè & callidè) evidentiſſimè comparat ſuam vel ſuorum Eccleſiam, nullatenus autem Quakerorum congregationem, cum Eccleſia Dei vivi; Quakerorum res geſtas, initia, progreſſus, decreta cum geſtis ac dogmatis prodigioſis adverſariorum Eccleſiæ Dei vivi, & ita facit ipſe Quakeros illis illius ſimiles adverſarios, ſemetipſumque æqualem Eccleſiæ Dei vivi defenſoribus iſtis peritis, ſtrenuis, qui laboraverunt, ut ſolum geſta ac dogmata prodigioſa.... narrando diſcuſſerint &c. Rati id ipſum eſſe ea profligare aut confodere.

Judicet ergo nunc ipſe autor æquo, ſi poteſt, animo; Judicent deſiderati antea Lectores, an & quomodo hæc noſtra neceſſariò hactenus præfata cum præfatis ab autore noſtro tam blandulis conveniant voculis: „ ſe nil quicquam tributu-
„ rum *exiſtimationi præſumtæ*, *affectibus*, *ſtu-*
„ *dio partium*, ac omnino quales hi homines
„ ſint, ac quid ſit habendum de eorundem actis

„ ut

„ ut & ſacris ſcitiſque ac moribus *uniuſcujuſque* „ *judicio* relicturum ? Cuncta igitur ſua antea prolata ad quid aliud, quam tacite Lectoris animo ab ipſo initio ſiniſtram quandam de Quakeris ita dictis opinionem inſtillare ? illius mentem ſub-& obreptitiè, uti quidam loquuntur, præoccupare ? & ſcrupulum, ne duriori, licet veriori, expreſſione utar, de indole & ingenuitate iſtorum ipſorum injicere ? id quod dubio procul fidelis hiſtoriographi muneri, honeſtati quoque civili, & quod longe maximum, clariſſimo præcepto veteri [verbis utor autoris p 139. l. 10.] ex ipſo juris adyto deprompto : *quod ſibi quis non vult fieri, id alteri ne fecerit*; aureæque ſententiæ ſalvatoris repetitæ e lege ſanctiſſima Dei & Prophetis, clariſſime repugnat dicentis Matth. 7. 13. *Quæcunque volueritis, ut faciant vobis homines, ita & vos facite iis, iſta enim eſt lex & Prophetæ.* Vix ſiquidem credibile, ſi vel Papicolæ vel alii ſuorum adverſariorum eocum eodemque egerint modo aut acturi, ipſum talia legitima, honeſta & pia æſtimaturum.

Quid tandem hic auctor cum ſuo ibidem *Eccleſiæ* vocabulo ſibi velit, prorſus non, etiamſi hoc in ſuo exordio κϱινόμενον videatur, exprimitur atque oſtenditur, quamnam Eccleſiam per Eccleſiam ſuam & Eccleſiam vivi Dei intelligat; quot enim inter Chriſtianos vulgo dictos Confeſſiones ſeu Religiones, quarum fere innumeræ, tot etiam ſunt Eccleſiæ Dei vivi, aut ad minimum perhibetur eas eſſe, quoniam quælibet earum ſuam defendere Eccleſiam, & haberi pro ſola Eccleſia Dei vivi nititur; & cum hoc proinde fiat abſque congruo altercantibus partibus judice viſibili, externa autoritate jus, ut in mundanis

ſit rebus, dicendi prædito, nemo certe horum alteri Eccleſiam ſuam pro Eccleſia Dei vivi obtrudere, ut credat, potis. Hinc ſi autor noſter, ſicuti non malè conjiciendum, cœtum Reformatæ ita vocatæ Religionis, in quo, ut dictum, ipſe Præco, ſolummodo pro Eccleſia vivi Dei præſupponere aut legitimare, ita dicendo, audeat, videat, annon citius & felicius cutem Æthiopis lavando albam reddere, quam hoc ſaltem Papiſtis & Lutheranis, cæteros ſilentio prætereo, perſuadere valeat? Etiamſi quoque ipſi ab eo iſtius ſui cœtus adverſarii æſtimentur, neque iſti hoc negaturi, negabunt tamen ſe ideo eſſe adverſarios Eccleſiæ Dei vivi, ſed tantummodo particularis cujuſdam congregationis, quæ falsè à ſuis dicta Eccleſia Dei vivi. Aſt ſi per Eccleſiam vivi Dei intelligatur Eccleſia inviſibilis ſeu cœtus piorum, ubicunque locorum & quocunque tempore per omnia nationum & Confeſſionum genera diſperſorum, ſecundum Petri ſententiam Act. 10: 34, 35. Tunc alia res & abſque ulla difficultate manifeſtum erit, quamplurimos, qui particulari cuidam nominetenus, male tamen vocatæ Eccleſiæ Dei vivi adverſarii & inimici habentur, atque ideo crudeliter duram ſubeunt tam verbis quam factis, vel utriſque perſecutionem, eſſe vera veræ Eccleſiæ Dei vivi membra, licet eorum geſta & decreta, & dogmata ab aliis ſibi contrariis hominibus pro prodigioſis &c. reputentur. Exempla Papiſtarum, Proteſtantium aliorumque hac in re veritatem abunde declarant.

Ex hiſce itaque ab utroque noſtrum præmiſſis tanquam ex ungue Leonem ſequutura nullo negotio cognoſcenda & dignoſcenda, ubi brevitati ſtudens, non niſi quod conſideratione nec-

ceſ-

ceſſaria dignum reliquis minoribus erroribus præterlabentibus, quantum potero, ſtrictim exhibeatur, & quidem ſecundum librorum, paginarum linearumque in hiſtoria ipſa ordinem. Eſto ergo

LIB. I.

Pag. 8. lin. 12. *Hi homines nominantur* QUAKERI. *Quod vocabulum Anglice dictum, ſignificat tremulos.* Cum varia ab initio in hos homines conficta fuerint nomina, irrita tamen cuncta, donec quidam Judex Bennet in Darby, audiens Foxum, Anno 1650. ipſum & alios alloquentem: *Tremite ad verbum Dei*; eos *Quakeros* vocare auſus. Etiamſi autem hoc vocabulum Anglice ob notam ſignificationem tam horridum non ſit, quam apud peregrinos propter ignotam ſignificationem ipſiuſque ſonum; quia tamen hæc appellatio non ita evaneſcebat, uti præcedentes omnes, ſed firmius ipſis adhæreſcebat, adeo ut eam abigere impoſſibile fuerit, nihilominus hanc tam ſimpliciter, etiam diſtinctionis ſaltem gratia, non admiſere, ſed ſemper, uti erat, per contemptum ipſis datam eſſe oſtendebant, & in ſcriptis quoque ſuis Anglice ita exprimebant: in ſcorn; ſeu ſcornfully; ſive of the world called Quakers; id eſt, per contemptum; ſeu contemptim; ſeu a mundo vocati trementes; Etſi unquam quoque unus vel alter tremore quodam ob certas rationes [de quibus Barcl. in Apol. p. 231]. correptus fuerit, qua fidicia tamen autor de omnibus his dicere potuerit, quod vel raro uni vel alteri accidit? ſcribit enim: „Nomenclaturam illam & rem ipſam adeo non refugiunt, & deteſtantur, ut reantur utramque ſano ſenſu, ſuo quodammodo jure ſe convenire.

„nire. Et fatentur enim ſe eſſe tremulos, „neque diffitentur, dum ſuis operantur ſa- „cris &c. ſæpe intremere, &c. & poſtquam „redeunt ad ſe & ſe recolligunt (hiſce quaſi Enthuſiaſtæ exhibentur, a quibus tamen ipſi teſtante autore ipſo in ſequentibus ibidem ver- „bis ſe longe ſeparant) ſupervenienti lætitiæ vix „ſe poſſe temperare, & hinc ſequi quandoque „(non ut antea: *ſæpe*;) tremulos modos animi „& corporis. Si enim a tali particulari ad uni- verſale autori concludere placuerit, ipſe novit abſurdam eſſe conſequentiam, & ita propter Moſen, de quo dicitur Act. 7: 32. ipſum tre- muiſſe; & propter Davidem & alios, qui tre- mentes fuiſſe in ſacris perhibentur, imo ob man- datum Pauli Philipp. 2: 12. *Cum timore & tre- more veſtram ipſorum ſalutem conficite*; tam fa- cile ac neceſſario concludere cogeretur, omnes fideles, & ita eum ipſum, ſi fidelis ipſe, de- bere eſſe tremulos. Aſt non dubito & ipſi quo- que notum eſſe, hunc tremorem, quamvis di- vinum, nunquam apud ullos, & ita quoque neque inter hos, ut aliquid eſſentiale ac neceſ- ſarium veræ fidei fuiſſe aut etiamnun eſſe. Vid. hac de re plura in den Erinnerungen über Joh. Winklers Predigern in Hamburg 3. Predigten. p. 30. ſeqq.

Pag. 13. lin. 16. *Tametſi inquiunt*, (Quakeri ſcil.) *omni interjecto tempore ..... unus aut al- ter extitit, qui contra defectionem* [a doctrina Apoſtolica] *vehementer diſputavit declamavitque, verum abſque ullo fructu*]. Vix hæc unquam ab ullo Quakerorum tam abſolutè prolata, ac ſi tempore Apoſtaſiæ craſſæ piorum labor abſque ullo fuiſſet fructu; ſed in illis temporibus exti-

tiſſe

tiſſe quidem hinc illinc unum vel alterum piorum ſeparatim, minime autem iſtos conſtituiſſe, qualis nunc eſt, congregationem publicam.

Pag. 14. lin. 11. *Ergo hi homines ita ſuam religionem celebrant ſicut antiquiſſimam, ut ſtatuant, eam quidem olim jam, apud ſeculum primum & aureum illud obtinuiſſe, aſt deinceps omni tempeſtate, fermè ab ipſo illo principio nominis Chriſtiani, uſque in hanc ætatem, fuiſſe inſigniter neglectam ..... renovatam, aut poſtliminio revocatam reſtitùtamque* &c.] Ipſo Apoſtolorum tempore Apoſtaſiam incepiſſe, magis tamen incrementum tertio poſt Chriſti aſcenſionem ſeculo ſumſiſſe & in ſequentibus ad ſummum pene perveniſſe, non obſtante hinc illinc interim, uti jam dictum, nonnullorum piorum diſperſione, qui ſimul quidem Eccleſiam, ſed tanquam in eremo, conſtituerunt, hancque ipſam Apoſtaſiam a Luthero, Calvino aliiſque & ante ipſos pro temporis ratione Reformatoribus magis magiſque luci expoſitam, Quakeri inficias non eunt; Aſt an aliud quidpiam & melius iſtis priſcis erroribus introductum & conſtitutum poſtmodum fuerit, hæc heic eſt quæſtio.

Pag. 15. lin. 1. *Faſtidiuntque omnem vitam ac converſationem eorum omnium, non modo qui appellantur Chriſtiani, ſed etiam qui ſe perhibent Euangelicos ac Proteſtantes*]. Quotidiana experientia teſtis optima, ſuique ipſius verba *pag. 7. lin.* 8. oſtendunt omnino contrarium, quippe qui abſque dubio non ſolum Chriſtianis ſed & Euangelicis & Proteſtantibus ſe adnumerat, cuique iiſcum hominibus familiariter eſſe & loqui contigit.

Ibid.

Ibid. lin. 8. *Quibus ſuam doctrinam*]. Quei hæc fâlſe quædam præjudicata abſque exiſtimatione præſumta, ſtudio partium, affectibus &c. heic potuerint inſeri videat ipſe, ego me neſcire fateor.

Pag. 16. lin. 6. *Dixi generatim de conditione horum hominum*]. Neque hæc periodus firma, niſi addantur: aſt non abſquē exiſtimatione præſumta &c.

Pag. 17. lin. 7. *Illius inventi conſectationiſque princeps & ſuaſor atque auctor fuit Georgius Foxus*]. Sicuti nequitia Apoſtaſiæ non unico impetu & ſimul conſpurcavit Chriſtianiſmi puritatem, ſed ab uno ad aliud ſeculum gradatim, ac eodem poſtmodum modo a Reformatoribus præcedentium ſæculorum magis indies fuit detecta & purgata, puritaſque quædam reſtituta, cui tamen, ut antiquæ, *inventi conſectationiſque* nomen haut competit, ita quoque nec in hoc XVI ſeculo huic ulteriori & perfectiori Reformationi, quæ non ſolum circa Religionem, ſed & civilem converſationem ad Dei honorem & æternum proximi emolumentum eſt occupata, qua de inter alia agitur in libello Germanico: Erinnerungen über des Predigers Johan Winklers in Hamburg 3. Predigten / gedruckt in Amſterdam 1694. pag. 40. 120. & paſſim.

Princeps & Suaſor atque autor]. Fallit autor ſe & Lectorem, ſi talia admittant, nam principium & fundamentum totius Religionis Quakerorum ſic dictorum non reſpicit homines cujuſcunque devotionis & pietatis, ſed internum teſtimonium Spiritus Dei in cujuslibet corde, Sacræ Scripturæ verbis piorumque & divinorum homi-

mi-

minum exemplis quam maxime concordans, id quod non ratiocinando humanitus, ſed in inenarrabili & in invincibili veritatis demonſtratione interna conſiſtit, adeo, ut qui ſolummodo propter externam quandam licet veriſſimam perſuaſionem aſſentiant, atque abſque interno certiſſimo veritatis ſenſu iſtos ſequi conantur, utut alias vitæ honeſtæ & moderatioris, hos iſti non quidem rejiciunt, contemnunt aut condemnant, neque tamen pro ſuis genuinis agnoſcunt, imo expreſſe etiam parum interne convictis dicunt, admonentque eos, ne ſemetipſos propter externas nonnullas rationes decipiant, neque hujus vel illius hominis cauſa, ſed ſolius Spiritus Dei interne agentis gratia & auxilio ſeſe voluntati Divinæ offerant & ſubjiciant, ita ut heic nullus homo princeps, ſuaſor atque auctor, neque ipſe Foxus quamvis inſtrumentum Dei, uti in præcedentibus ſeculis per Calvinum, Lutherum, Huſs, Wiclef, Waldo, &c. Reformatores pro cujuslibet menſura factum videmus, hiſce cum ſuis adſtipulatoribus excitatis, ſed ſolus Deus ſemper benedictus, ſua gratia, ſuo ſpiritu, ſuo lumine per Chriſtum Jeſum eſt & erit Princeps, ſuaſor & auctor penes eos & omnes pios.

Georgius Foxus. Anglice: Fox; Hic eſt ille vir, qui autori noſtro præcipue & multum faceſſit negotii, iſtius hic raram & admirandam pietatem ab ineunte ætate ſatis dextre deſcripſit, aſt quando poſtmodum ad altiora in divinis progreditur, inprimis dum Concionatoris munere iſte fungi incipit, tunc cum etiam jam mortuum qualicunque leviſſima occaſione exagitare, dejicere, deprimere & quaſi catamidiare, non veretur. Quod itaque heic ſemel, iſtud poſtmodum ſem-

per data opportunate obſervandum velim. Cum autem virgines, puellas aliaſque mulieres & viliores ex plebe concionantes ægre etiam ferat, videtur forſan hujus cauſam eſſe non minimam malum iſtud moderatis quoque quibuſdam non infrequens & ſæpe ipſiſmet occultum, odium ſcilicet quoddam figlinum, quia uterque Concionator, licet diverſo reſpectu, ſiquidem notiſſimum, ut in multis aliis, ita in hoc, inter tempora abſque & in Apoſtaſia notabilem eſſe differentiam, nam: In

Illis.	*His.*
1. Erat Congregatio fidelium, quæ erat corpus Chriſti, cui ipſe caput. Eph. 1: 22, 23. 5: 23, 27	Eſt Confluxus, quorundam corruptorum quoad veram fidem plus minuſve.
2. Ubi quilibet cujuscunque generis, muneris, ſtatus, & ſexus, modo fidelis, particeps erat ejuſdem SORTIS quod Græce vocatur κλῆρος *Kleeros*, ſicut ex ipſis Jeſu verbis Act. 26: 17, 18. liquet dicentis ad Saulum: *ut* POPULUS & GENTES, *ad quos te mitto*, SORTEM *accipiant inter ſanctificatos per fidem, quæ eſt in me.* Ita ipſe poſtea Paulus	2. Qui officia concionandi & alia in hoc confluxu ſibi ſolis propria autoritate attribuere, hi ſoli etiam vocantur *Clerus* ſeu *Clerici* *. excluſis reliquis omnibus, qui ipſis *Laici*, ſint vel Reges, Principes, nobiles, ignobiles, docti, indocti ad opiliones uſque & bubulcos & ſubulcos, omnes hi ſunt ſibi ipſisque in hoc ſimiles. Vid.

* vid. p. 256. lin. ult.

Coloſſ.

Coloſſ 1: 12. *Qui* [Pater] *nos* [nempe vos Coloſſenſes & me] *fecit idoneos ad participandam* SORTEM Sanctorum in Luce.

3. Omnes hi erant *ſpirituales*, uti Apoſtolus loquitur, ſeu ſecundum ſpiritum ambulantes & eſſe. Rom. 8: 4, 5. Erriner. p. 9. Et ita etiam cum vocabulo: *Sancti*;

4. Inter quos erant quidam, qui miniſtrabant, alii, quibus miniſterium exhibebatur, Illi, abſque tamen differentia harum antecedentium proprietatum, quæ omnibus fidelibus, pro cujuslibet menſura, promiſcue erant communes, erant *primum Apoſtoli, dein Prophetæ, tertio doctores, dein poteſtates* &c. 1. Cor. 12: 28.

5. Inter hos nihilominus erant quoque, qui Euangelium annunciabant, ſive Concionatores, a quo miniſterio nullus fidelium, cu-

Errinnerungen p. 113.

3. Hi facti ſolummodo Clerici ſibi quoque ſolis arrogabant prædicatum *ſpiritualis*, ſed quam inique vid. *Errinner*. p. 8. ſeqq. Et ita quoque cum vocabulo: *Sancti*.

4. Qui heic miniſteria qualiacunque perficere putant, non ut miniſtri, ſed ut Domini, in reliquos agunt, & ex antecedentibus manifeſtum eſt, talia communia Dei beneficia ideo etiam ſibi ſolis competere putant.

5. Nullus ordinarie ad concionandum admittitur, niſi qui in Scholis & Academiis ſuos curſus, ut quidam ſcholaſtici loquuntur, ab-

cujuscunque conditionis & ſexus, modo per ſpiritum ſanctum idoneus, excludebatur, vel arcebatur, ſic enim Paulus 1. Cor. 14: 1, 3. *Affectate charitatem, ambite ſpiritualia, magis tamen ut prophetetis, qui prophetat, hominibus loquitur ædificationem & exhortationem & conſolationem*; tandem verſu 31. concludit ita: POTESTIS *enim* OMNES *ſigillatim prophetare, ut* OMNES *diſcant &* OMNES *conſolationem accipiant*. Ideo non immerito Paulus Aquilam & ejus uxorem Priſcillam τȣ̀ς συνεργȣ̀ς μȣ ἐν χριςῷ Ἰησȣ̃; *meos coadjutores*, non certe ob ipſis commune artificium, *ſed in Chriſto Jeſu* vocat Rom. 16: 3. Paulo enim haut ultimum in ſuo divino ſervitio fuit, *prædicare Chriſtum crucifixum*. 1. Cor. 1. 23. & *Euangelizare* 1. Cor. 9: 16. in quo ſine dubio iſti ipſius

abſolverit, & poſtmodum ſecundum hæc literarum ſtudia & cujuslibet confeſſionis modum examinatus, & tandem ordinarium adeptus miniſterium, prius certis quibuſdam ceremoniis, non a Deo, ſed hominibus inſtitutis, ordinatur, & prævia quadam, vel a Patrono loci vel congregatione iſta, ſæpe tantum ex voluntate & diſpoſitione unius vel alterius, quadam vocatione in locum vacantem prioris inſtallatur, ſæpiuſcule intruditur. Et huic ſæpe unico in congregatione vel centum vel plurium auditorum ſolum permiſſum eſt, abſque ulla horum in publico quæſtione multo-minus oppoſitione intermixta, pro autoritate loqui quodcunque & contra quodcunque libitum, etiam ſi inter iſtos

ipſius fuere *συνεργοὶ*, Coadjutores, eodem modo, uti ipſe ipſi Timotheus; quem ibidem quoque Rom. verſ. 21. *συνεργόν μȣ*, meum coadjutorem appellat, & ita etiam alios, ut Titum 2. Cor. 8: 23. Epaphroditum Philipp. 2: 25. Et quid aliud judicandum de iis nimirum mulieribus, quarum hic Apoſtolus in eadem epiſtola c. 4: 3. hiſce mentionem facit, & eas aliis ſuis Coadjutoribus in Euangelio æquiparat, ſcribens: *Et rogo te quoque Socie Germane, adjuva illas, ut quæ in Euangelio concertarunt mihi una cum Clemente quoque & reliquis adjutoribus meis.* Sic Cæſariæ erant Philippo Euangeliſtæ quatuor filiæ virgines Prophetantes. Act. 21: 9. Et etiam ſi notabilia inter Quakeros exempla pie concionantium mulierum injuſte reſpuantur, ejusmodi tamen generis ea autor non iſtos ſint, qui meliora cognoſcant atque ſciant, prohibitum tamen in ejusmodi congregatione vel *ad ædificationem* vel *exhortationem* vel *conſolationem quoque eſſari*, extirpatumque illud Apoſtolicum monitum: *Poteſtis omnes ſigillatim prophetare.* Et longe abominabilius ducitur facinus, ſi vel quædam Priſcilla aut alia pia mulier audeat Coadjutoris munus annunciando Euangelium ſubire, licet idonea per Deum & gratis; Cum ipſis ordinariis Concionatoribus fixum ſit & annuum ordinatum ſalarium & ſtipendium, non raro neceſſitatem victus & amictus duplo & quadruplo & ulterius ſuperans, ita ut ſine curis, ſine moleſtia, in quiete & tranquillitate, non ut miſeri olim A-

non poteſt non, ſeu ſecundum religioſi viri conſcientiam, non debet non magni facere, quæ inter ſuos in crudeliſſima nupera & hodierna Reformatorum perſecutione Gallica evenere, inprimis duarum virginum, quarum una Iſabella Redoſtiere annum circiter agens 18. & altera Pintarda circa 16 & 17. ætatis annum, de quibus & aliis videatur **Kort verhaal van de Wonderen.** &c. *Claude Brouſſon.* **Gedrukt tot Delft.** 1695. Et hi & hæ omnes ſine externa quadam ſingulari vocatione, abſque ordinario & certo ſalario ſeu ſtipendio hoc officium concionandi ſeu annunciandi Euangelium exercebant. Si vero quis externis carens bonis & ex ſuis ſibi ad ſuſtentandum proſpicere non poterat, id quod alii ipſi libere ad ſummam victus & amictus neceſſitudinem offerebant, grato hic animo accepit.

poſtoli & nunc quam plurimi alii pii, ſed ut mercenarii mundani alii vitam tranſigere poſſint. Et ſic itur ad aſtra.

6. Hæc

6. Hæc congregatio diſtincta à doctoribus & aliis miniſtris inter ſe κατ᾽ ἐξαίρετον vocabatur Congregatio, Græce ἐκκλησία, *Eccleeſia*: habebatque autoritatem dijudicandi Spiritus doctorum ſuorum, ſic enim Joannes 1. Ep. 4: 1. *Dilecti, ne cuivis ſpiritui credite, ſed probate Spiritus, an ex Deo ſint, nam multi pſeudoprophetæ venerunt in mundum.* Sic quoque Paulus 1. Theſſ. 5: 19, 20, 21. *Spiritum non extinguite, Prophetias ne pro nihilo habete; omnia probate, quod bonum eſt tenete.* Imo Paulus ſe ſubmittit Corinthiis, ita ipſis Ep. 2: c. 13: 3, 6. ſcribens: *Quandoquidem experimentum quæritis in me loquentis Chriſti, qui erga vos non infirmus ſed potens eſt in vobis: At ſpero fore ut cognoſcatis nos non eſſe rejectaneos.* Hujus congregationis diſtinctæ autoritas in ordi-

6. Hi qui Clerici, qui Sancti, qui Spirituales etiam poſſunt fieri Eccleſiaſtici, ut quodcunque ipſi inſtituunt, ordinant, præcipiunt, ſub nomine Eccleſiæ præcepti & mandati vigorem obtineat, ita enim non amplius tota congregatio, aut congregatio a miniſtris ſuis diſtincta ἐκκλησία *eccleeſia*, ſed in verſo ordine ipſi miniſtri faciunt talem nunc eccleeſiam, remoti enim auditores, remoti omnes laici, ſi autem caſu quodam, aut ordinatione humana, uti olim per Spiritum Sanctum, accidat, ut civilium quiſpiam vel magiſtratuum vel aliorum neceſſario ſit præſens, ut Presbyteri & diaconi aut præſes, id tamen potius ad horum eccleeſiaſticorum autoritatem confirmandam & augendam quam mitigandam & imminuendam, tendere videtur, & non raro accidit quoad civiles & potentes ſecula-

 mandis

nandis rebus divinis maxime erat neceſſaria, præter quam plurima exempla unicum hoc ſufficit in agitata & concluſa difficili quæſtione Jeruſalemi de obſervatione legis Moſaicæ a fidelibus ex Ethnicis Act. 15.

ri brachio, Reges, Principes aliique, ſolummodo ſint & adhibeantur inſtar miniſtrorum, ſervorumque vilium executores ipſorum beneplacitorum, & ſtatutorum. Plura tranſeant.

Hac via in Apoſtaſi impia relicta & deteſtata ingreſſus eſt olim Foxus cum aliis idem ſentientibus illam, quorum ſuperſtites & præſentes eandem per Dei gratiam ſancte & ſtricte obſervant, piique futuri alii obſervaturi perpetim.

Ib. l. 15. 17. *Quemadmodum magiſtrorum diſcipuli ac ſectatores ex ipſis ſua nomina, poſſemus hos appellare Georgianos, &c. Foxianos, ſi non indeceret Chriſtianos, ut ſeſe, ita alios, qui itidem Chriſti profitentur nomen, denominare ab hominibus.* An ſub quadam quaſi Apophaſi, contra luculentiſſimum omnium honeſtorum, imo autoris ipſius ibi expreſſum teſtimonium, aliquid, quod Chriſtianis eſt indecorum & abſque ulla neceſſitate & non ſine quadam calumnia & attractis violenter, ut dicitur, crinibus effari, quemadmodum hæ ſunt injurioſæ nominum fictiones, Chriſtianum hominem deceat? judicet ipſe, cui aliquatenus ſaltem veritas cordi eſt.

P. 19. l. 19. *Foxus in ſua patria lingua adeo rudis, adeo inexercitatus & ad dicendum & multo magis ad ſcribendum.* Si duo hæc potiſſimum excipiantur, nimirum: Ipſum non adeo accurate ſemper literarum ſyllabarumque proprietatem

ſcri-

ſcribendo, non legendo, obſervaſſe, id quod tamen haut infrequens Anglis, etiam rarioris notæ hominibus: Ac deinde ipſum ſuo ſecundum cujuslibet libertatem ſcribendo loquendoque ſtylo uſum, qui uni vel alteri, in rebus mere divinis minus experto rudis & obſcurior viſus; reliqua certe ibi cuncta injuſte de eo efferuntur, ut &

Ib. l. 29. *Quamobrem raro aliquid præterquam per diſpenſatores atque amanuenſes ſcripſit atque luci donavit.* Ubi eſt hujus rei teſtimonium? & ſi eſſet, quid tum? Aſt adſunt teſtimonia, quæ & nunc quiſque oretenus auretenusque, ſi lubeat, percipere poteſt, ipſum Foxum nempe quædam ſæpe pueris dictitaſſe, qui omnino ad corrigendum & emendandum vel vocabula vel verba, vel ſyllabas vel ſenſum vel ſtylum inhabiles & inepti, ita ut ea, ſicuti ex ore ejus effluxerant, publicata, hæcque & præcedentia ab auctore perperam prolata ex ipſiusmet quodammodo præcedentibus & ſequentibus verbis refelluntur. Et eſto omnia ſeſe ita habere, ipſum Foxum neque inferiorum neque ſuperiorum Scholarum mundanarum diſcipulum fuiſſe; ergone non etiam diſcipulum Chriſti? Carueritue vel omni iſtarum Scholarum doctrina, numne ideo quoque doctrina & regimine Spiritus Sancti? Et ſi non? quid tum amplius? Cuncta proin, quæ hic autor de Faxo comperta habet, quam accuratiſſime conveniunt cum eo, quod, ſalva tamen quadam differentia, olim Annæ Pontifici maximæ & Cajaphæ & Joanni & Alexandro & quotquot erant ex genere Pontificio de Petro & Joanne compertum erat, nimirum: *homines eſſe illiteratos & idiotas.* Act. 4; 6, 13. Ideone hi & iſte *floccipendendi*? & quorſum, rogo,

go, ſpectant verba Chriſti, *gratias agendo Patri ſuo, quod hæc* [ſcilicet divina] *occultaverit ſapientibus & intelligentibus & detexeris ea infantibus.* Luc. 5: 21. Qui ſunt hi infantes, niſi diſcipuli Chriſti? quos inter Petrus & Joannes, & hi illiterati & idiotæ; qui Sapientes & intelligentes? niſi Anna, Cajaphas, Joannes, Alexander & cæteri iſtis ſimiles, & hi literati, docti, ſcholaſtici; Quemadmodum ergo illiteratum & idiotam eſſe non obſtat heic eſſe diſcipulum Chriſti beatum, ita literatum, doctum & Scholaſticum eſſe videtur nonnunquam obſtare poſſe; nunc quis inter illiteratum & idiotam Foxum ac autorem noſtrum, alioſque ipſi ſimiles literatos, doctos & ſcholaſticos coram DEO melior? Ulterius, cum ſupra adductis Chriſti verbis concordant Apoſtoli dicentis: *Scriptum eſt: abolebo ſapientiam Sapientum, & intelligentiam intelligentium tollam e medio. Ubi ſapiens? ubi ſcriba? ubi diſquiſitor ſeculi iſtius?* [omnes quidem docti, literati] *nonne infatuavit Deus ſapientiam mundi hujus?* 1. Cor. 1: 19, 20. Quænam eſt doctorum, literatorum, Magiſtrorum hodie in Scholis ſapientia alia, quam mundi hujus olim etiam Judæis & Ethnicis, aliquali differentia quidem, communis? Et hæc clariora poſtmodum exprimit Apoſtolus ita: *Cernitis vocationem veſtram, Fratres! quod non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, verum* STULTA MUNDI *elegit Deus* ibid. Vers. 26, 27. Præterea autor noſter hac ſua de Foxo deſcriptione ſuoque judicio vix ſecedit a deſcriptione & judicio Ethnicorum Sapientum hujus mundi in tertio poſt C. A. ſeculo de Chriſtianis, hos maxime indoctos, impolitos, rudes, agreſtes vocantium,

qui-

quibus non eſſet datum intelligere civilia, multo magis denegatum eſſe diſſerere divina; teſte Minutio Felice. Plura in re notiſſima nunc non ſunt addenda.

pag. 20. l. 1. *Non pauci libri exierunt, ſcripti &c. editi nomine Georgii Foxi, & ſublato nomine commentatoris aut interpretis.* Si libros hos auctor indicaſſet Lectori fuiſſet clarius, an ulla in Foxo talis, quarum ipſe ipſum in ſequentibus inſimulat, fuiſſet ſingularis ſimplicitas &c. interim relegantur hæc ad not. pag. 17. l. 8, 9.

Ib. lin antep. *Ab hoc tempore Foxus hac ætate juvenili oſtendebat inſignem probitatem &c.* Egregium ab hoſte de Foxo teſtimonium.

P. 21. l. ant. *Jam vero quum ſutor hic tantum temporis &c. in unius Scripturæ lectione &c. conſumpſiſſet, non ita ſeſe ſui artificii finibus potuit continere, ut non aliquid ſupra crepidam tentaret, atque opus majus atque inſigne ac nobile tractaret &c.* Legimus quidem Petrum & Paulum propter annunciationem Euangelii vapulantes & variis modis perſecutos, ipſis tamen neque ab Judæis neque ab Ethnicis neque a Chriſtianis [niſi dubium an fideles inter ſe appellatione iſta iſtis temporibus uſi] unquam multo minus ad contemtum objectum: hunc eſſe σκηνοποιόν tabernaculorum factorem, alterum piſcatorem, ſed miſer Foxus heic male audit ex ſutore factum pium ad minus pios admonitorem Euangeliique poſtea annunciatorem, quaſi vero Chriſto Jeſu etiam nunc non eadem ſit poteſtas, uti olim, ex piſcatoribus piſcium, facere piſcatores hominum, ſic ex ſutore facere Euangelii concionatorem? Eſt quidem fateor differentia inter hunc & iſtos, non autem talis, quæ aliquid impoſſibilitatis in hac

comparatione admittat, licet non ſecundum autoris mentem, aſt aliorum, quibus omnibus in ejusmodi rebus judicandi juſtiſſime jus competit æquale; Et nemo, ut ſpero, inter Chriſtianos, qui non donum Spiritus ſancti, idque immediatum præferat doctrinæ in Theologia Scholaſticæ, a veterum quidem Scholaſticorum quodammodo diſtincta, attamen inter ipſos ordinarium & neceſſarium Theologiæ iſtius requiſitum adeo, ut fere abſque hac ejuſdem donum parum penes tales valeat. Sed quam impie oſtendunt exempla contraria, quæ experientia abunde adminiſtrat, non ſolum præcedentium ſeculorum, ſed & in hac noſtra ætate, quorum quædam vel ab ipſo autore negari nequeunt, nec ſalva conſcientia debent, nimirum nonnulla in inhumana Reformatorum perſecutione hodierna Gallica; fuere enim inter iſtos non pauci pueri, adoleſcentes, juvenes, virgines, non ſcholaſtico modo, ſed tantum Spiritu ſancto edocti & munere Concionatoris, niſi majori, pari tamen effectus efficacia, ut alii doctiſſimi functi, ex horum numero fuit Vindal circa 22 ad 23. ætatis annum, claudipes, informis, carminator in quodam pago, attamen admirabili virtute concionando. Franciſcus Vivens a. 21 ad 22. annum claudicans utroque pede. Item David Mazel puer ab 11 ad 12. annum. Sic & alii Carminatores, ſutor, textor, carpentarius, & David Quet. 15. annorum. Treſque fratres circiter 20. & 25. annos, hi tres neque legere, neque ſcribere noverant, omnes autem idiotæ quoad ſtudia mundana ſeu Academica, ut & quam plurimi alii & etiam alterius ſexus, quarum in præcedentibus mentio facta, cunctorum autem horum in ſupra indicato libro **Kort verhaal**
van

van de Wonderen &c. Si jam reverteretur Petrus & Paulus eo viliſſimo habitu & abjecta vivendi ratione, queis olim incedebant, non immerito dubitandum, eodemne honore, eademque æſtimatione a Chriſtianis hodiernis & inprimis a Scholaſticis iſtis Theologis reciperentur, ſicuti ipſorum nunc ſcripta, quibus iſti ea explanando, exponendo, ſæpius autem obnubilando, pervertendo, ingens ſibi lucrum faciunt, honoreſque divitiaſque immenſa ſibi comparant, & hinc ipſis omnibus, accedente conſuetudine inſignis inprimitur reverentia. Hæc autem referuntur ad not. pag. 17. l. 8, 9.

p. 22. l. 3. *Supra crepidam.* Si autor noſter, uti nullum videtur eſſe dubium, reſpexerit vulgare iſtud Adagium: *Ne ſutor ultra crepidam*; quod de iis dicitur, qui reprehendunt id, quod non intelligunt; applicandique Foxo habuerit animum; videtur quoque ipſum non adeo reſpicere potuiſſe veram ejus ſignificationem, quam ſaltem occaſionem ob opificium Foxi ſutorium, ſutoriis voculis ludendi ſimulque eum eludendi; aſt non recordatum iſtius triti: *Duo quod faciunt idem, ſæpe non eſt idem*; Uterque quidem ſutor & adagii & Foxus, aſt quæ differentia quæſo? iſte occupatus circa res mundanas, hic circa ſpirituales & cœleſtes; iſtæ per creba artium exercitia ſedulitateque ingenii laborumque & ſæpius non ſine pretio acquiruntur; hæ ex mira ſolius Dei gratia per Chriſtum libere dantur & accipiuntur; ibi eſt reſpectus perſonarum, quoque unicuique artifici in ſua arte credendum; heic prorſus nullus, ſive ſit illiteratus, idiota, piſcator &c. ſive literatus, ſcholaſticus, Doctus, Theologiæ Doctor, artiumque Magiſter, & ſine

quo-

quodam opificio, imo in divinis rebus ab ipſo Chriſto & Apoſtolo his iſti præferuntur, ſicuti notatum ad pag. 19. l. 29. Atque ideo quæ cauſa Pictori, qui autor hujus adagii, fuit juſta iſtum ſutorem coarguendi; talis hiſtoriographo noſtro in ſuum ſutorem prorſus eſt nulla; ſi itaque hoc adagio ipſe autor noſter Foxum vel ingenioſe vel ſcoptice aggredi intenderit, caveat ſibi ſedulo, conſideretque, ne ſe adagium in ipſummet retorqueat, inque ſuum ipſius caput recidat, & merito & verius ob ſuam incongruentem hujus adagii vel applicationem vel mentionem vel intentionem de ipſo dici queat: *Ne ſutor ultra crepidam.* Quicquid ſit, vix hæc abſque aliqua exiſtimatione præſumta, ſtudio partium, affectibus &c. ſcripta, referendaque ad not. p. 17. l. 8, 9.

P. 24 l. 6. *Sive autem hac vera vox fuerit divinitus cælo profecta, ſive quædam mentis Foxi ſermocinatio cum ſe &c.* Ad diluendas hujusmodi difficultates accuratior paululum cognitio & conſideratio diſtinctionis Apoſtoli 1. Cor. 2: 14. inter hominem animalem & ſpiritualem multum videtur conferre, quorum motus ſunt diſtincti, ſiquidem certum eſt de Deo & ſpiritualibus diviniſque rebus nos non poſſe formare ideas, ſed iſta longe excedere omnes tales cogitationes; Aſt animalis homo quæcunque percipit, intelligit, judicat, effatur, agit &c. per ideas fit; hinc ſi unquam autor aut alius quispiam ad Deum preces, ut decet, fuderit, nimirum non abſque ſpiritu & veritate, Deo alias ingratæ nec precum nomine dignæ, ſed ſpiritu & veritate, impoſſibile eſt, quin motus & afflatus iſtius Spiritus omnes ideas ſuperantes, imo, uti ſunt, per nullas ideas comprehenſibiles, pro menſura ſua ſenſerit, ideo cum de

Deo

Deo & divinis rebus ſit ſermo, tum nunquam ea proprie exprimi poſſunt, ſed ſemper metaphorice, analogice, anagogice & per ſimilitudines, ſic quoque ipſe Chriſtus regnum Dei per ſemen ſinapi, frumenti, fermentum &c. propoſuit & expoſuit, & eo modo ante ipſum Prophetæ & alii ſpirituales, quæ de ſpiritualibus in mandatis a Deo habebant. Ideo caute in judicando hæc agendum, præprimis ubi circumſtantiæ & effectus edocent, omnia ad ſolius Dei gloriam & proximi non mundanum, ſed æternum emolumentum fuiſſe inſtituta & peracta, non obſtante animalium hominum cenſura, ut qui non ſunt capaces eorum, quæ ſunt Spiritus Dei, ſunt enim ipſis ſtultitia, nec poſſunt ea cognoſcere, quia ſpiritualiter dijudicantur, id eſt, ſine ideis.

Ib. l. 26. *At vero poſtmodo ab hujusmodi altiſonis vocibus abſtinuiſſe* [Quakeros] *& hodieque abſtinere omnes.* Quid refert altiſonis vocibus iſtos uſos, modo veris, aſt non in eo ſenſu, ut autor vult, res ſe habet, neque poſtmodum vel viros iſtos vel omnes ab hujuſmodi vocibus abſtinuiſſe, aut etiamnum abſtinere, etiamſi ob ſcandalum quorundam ex harum rerum ignorantia acceptum quidam effando talem loquendi modum cautius ſe geſſerint, gerantque.

Pag. 27. l. 19. *Foxus ſemper ita dirigebat colloquium, ut controverſeretur de hac aut illa conditione hominum &c. in genere aut ſpeciatim chriſtianorum &c. ut omnis fides ac vita eorum eſſet in lingua &c.* Non videtur inique actum, ſiquidem hæc fundamenta adhuc Apoſtaſiæ relictæ, & inprimis

Ib. l. 26. *Utque ipſimet anteceſſores & antiſtites, ſive miniſtri verbi divini, paſtoreſque eccle-*

ſiarum

ſiarum ſolo ſe ſuæ ſcientiæ tractatu, atque ſui muneris qualicunque obſervantia delectarent, imo ſola mercede adducti ſe operarios præberent hominibus. Unde Foxus ſemper infecto negotio atque mala cum gratia diſcedebat. Hoc credibile: nam ſi unquam verum iſtud, heic hoc verum eſt: *Veritas odium parit;* & qui hoc irritat genus hominum, eocum, niſi ſingulari Dei adjutorio, actum eſt, id quod ob quotidianam experientiam exemplis a longo tempore petitis & ſuperfluis Judæorum, ethnicorum, Papiſtarum &c. non eget.

Pag. 28. lin. 21. *Laborabat Foxus multum vitio melancholico, iſto illorum hominum nationi velut ingenito morbo.* Pro laborabat, melius: laborare nonnulli putabant; & pro vitio; temperamento melancholico, ut vulgus medicorum loquitur; id quod in rebus divinis, quibus ſe totum per Dei gratiam Foxus conſecraverat, non adeo obeſt, quin multo magis & commode proſit. An igitur hoc ſit vitium, iſtique nationi ingenitus morbus, ſolummodo heic ita dicere, parum meretur fidei.

Ib. l. 25. *Querebatur Foxus, ſe ſine ulla intermiſſione maximis ac terribilibus angoribus &c. cruciari &c. Itaque &c. conquerebatur &c. & apud miniſtros eccleſiatum, neque ulli illi ſatisfacerent, ibi ille homo, more iſtiusmodi afflictorum hominum, dum voti & mentis magis impotum, iis ſuccenſere & ut inſcitos & malos medicos habere & ſpernere.* Longe verius: *compotum;* nam rem miſerrimam! qui ſe pro medicis ſeu corporis ſeu animæ venditant, nullum tamen in ejuſmodi morbis auxilium adferre norunt, quare non jure optimo iſtis ſuccen-

ſeat

ſeat æger? hic etſi voti ſui ſit impos, mentis tamen ideo non eſt, ſed reapſe mentis ſe dum maxime compotem eſſe, pravis medicis ſuccenſendo & ut inſcitos & malos habendo & ſpernendo oſtendit.

P. 29 l. 21. *Idem videlicet autor, & nuntius & teſtis.* In rebus divinis, quæ ſingularem ſpectant hominem, & in interna ipſius ipſi facta revelatione conſiſtunt, qualem autorem & nuntium & teſtem aliquis ſanæ mentis deſiderare poteſt alium, quam hominem ipſum, qui pius, ſincerus, cujus rei gratia non videtur de Foxo ullam eſſe dubitandi cauſam ſufficientem; alias quilibet ethnicorum, Judæorum & infidelium aliorum non immerito non potuiſſet non quamplurima ab Apoſtoiis dicta factaque eodem modo cenſere ambigua, quoniam abſque ullo alio autore, & nuntio & teſte, quam a ſe ipſis; Ubi veritas ergo tertii cœli? Paradiſi? ubi gaudiorum inauditorum & inenarrabilium Pauli? niſi ipſe verus & non dubius ſit autor & nuntius & teſtis. Sed Foxi verbis eadem fides non habetur? hoc verum, ab ejus ſcilicet inimicis; ita nec Pauli ab ethnicis, Judæis & infidelibus, quorum & inter chriſtianos ita dictos nonnulli, quid ergo? vid. not. ad pag. 17. l. 8, 9.

p. 30. l. 3. *Magiſtro.* Foxum ſingulare quidem in hac reformatione inſtrumentum Dei fuiſſe, ſe autem non jactitaſſe ut magiſtrum, notum eſt iis, quibus ipſe fuit ſincere notus, nec ab ullo eorum pro magiſtro habitus, quippe qui omnes cum priſcis Chriſtianis ſentiunt & dicunt: *Magiſtrum neminem habemus, niſi Deum ſolum.* Tertull. ad Scap. c. 4. p. m. 72.

p. 31. l. 3. *Oſtendebat ſane Foxus omnibus modis*

dis eſſe ſe ex eo hominum genere, qui ſe & ſua cupiunt conſiderari &c. Quam accurate oſtendunt hæc & ſimilia ibidem verba, id quod ſuperius ad pag. 17. l. 8, 9. notatum, verum eſſe. Eſtne hoc uniuscujuscunque judicio ejusmodi relinquere? nil exiſtimationi præſumtæ &c. tribuere? credat hæc Judæus apella, non ego.

Ib. l. 8. *Igitur tantum aberat ut* Foxus *homines de his revelationibus &c. celaret atque ſic ſecum reputaret, poſſe eas veluti ſpecies inanes, figuratas animo non bene temperato &c.* Hæc & plurima ibidem alia & alibi paſſim occurrentia, famam & honorem Foxi juſtum, vel potius donum ipſius a Deo ſingularis gratiæ nimis quantum lædentia, an ab autore propter ſuas ſibi notas rationes pure communicata mutando ſint inventa, aut ab aliis Foxo infeſtis ipſi exhibita-incertum relinquitur; Cuilibet interim, cui mica ſinceritatis & veritatis in pectore, ex traditis in hac hiſtoria puris & non impuris ac mendacibus circumſtantiis pollutis quoad ipſum Foxum, quoad eos, qui ejuſdem eocum animi, qui viri, qua patientia, qua mentis tranquillitate acerba & immania omnes, & inter hos nonnulli ipſam mortem pertulerint, & in quem finem, non ob ulla mundi delectamenta, ſed ſolummodo ad Dei gloriam & proximi æternam ſalutem, haut poſſibile, ut ſpero, fore, hiſce & ſimilibus traditionibus ullam fidem habere. Fretus itaque hac fiducia parcior impoſterum cætera ejuſdem tenoris ad hanc ſolam notam relaturus.

p. 32. l. 3. *Cujus ſpecimen.* Ejuſdem hæc cum præcedentibus naturæ.

Ib. l. 17. *Quo elogio.* Hyperbolia prægrandi autor heic utitur.

Ib.

Ib. l. 19. *Quod mihi quidem permirum videtur.* Imo magis admirandum, cum alias ſecundum iſtud: *plus valet teſtis oculatus unus, quam auriti decem*, & in hac re adſint vel centum forſan oculati totque auriti, qui certe non fungos & pepones pro cerebro geſſiſſe credendum; apud autorem tamen plus non valent, quam ipſius, qui unicus, qui abſens, poſt ingens temporis ſpatium, mera & ipſa dubiis plena conjectura.

p. 33. l. 16. *Manſit Foxus in hoc ſtatu prope triennium, quod tempus ei velut curriculum academicum extitis. &c.* Hæc ſunt autoris ideæ comparantis ſtudia ſcholaſtica per ideas, ut alia artificia externa labore & induſtria acquirenda, cum pio & divino Foxi conatu & impulſu interno omnes ideas excludente, & hæ ſuæ ſunt non abſque ſua exiſtimatione præſumpta &c. itaque ad not. p. 17. l. 8, 9. & p. 31. l. 8. ablegandæ.

Ib. l. 27. *Mirum quantus ad eum* [Foxum] *hominum confluxus.* Certe ſi unicum hoc mirum & autori & lectori ſeria magis conſideratione dignum placeat, fieri, quis dicat, vix poteſt, quin in cauſa tam pia tam devota, qua omnes omnia delectamenta & emolumenta & mundana abnegant, ſoliuſque Dei honorem, proximique ſuumque æviternum bonum cordicitus animitus quærunt, ob tantum hominum confluxum, ob tantum eorum mutuum conſenſum, ob tantam eorum concordiam in brevi tempore, abſque ulla prævia prolixa & difficili catechiſatione ſeu informatione, concludere maxime neceſſarium ſit, Dei hoc, non hominum, opus eſſe, quicquid etiam alii ex incogitantia & ignorantia, uti olim Phariſæi, Scribæ, Sadducæi aliique Ju-

dæi, Ethnici, Papiſtæ &c. objiciant. Vid. ſimile quidpiam primævorum Chriſtianorum in not. ad pag. 130. l. 20. & pag. 55. l. 1.

P. 34. l. 2. *Et accipiens hanc hominum ceu Dei vocem.* Si vox populi vox Dei vulgo, quare non vox piorum vox Dei?

Ib. l. 3. *Atque munus doctoris apud turbam hominum* (Foxus) *capeſſeret.* Hoc Foxi munus autori ubivis moleſtiſſimum, aliorum autem inter hos homines, ut Fiſcheri, Keithi &c. hilariori ipſe reſpicit fronte; cujus cauſa vix alia, quam quod & hi olim ſcholaſtici, & inter alios præconis munere functi, ipſe autem Foxus, miſer ipſi homo, illiteratus, idiota, ſutor & ſiquid autori vilius. An autem vel invidia vel alia cauſa ad hæc impulſus autor, quis dicat? bene autem convenit cum not. ad pag. 17. l. 8, 9.

Ib. lin. 6. *Huic cæleſti imperio nil voluit abnuere* [*Foxus.*] Clara hæc ironia, qua autor & Foxum & iſtos cum Foxo conſentientes viros deridere videtur, ſimulatque in his & plurimis aliis locis & fere ubivis, quando de Foxo præcone ejuſque doctrina agitur, ſuam indignantem & faſtidientem mentem celare nequit. Videat autem ne iſti aliquando, niſi & nunc in hac vita, neceſſario maneat, rationem hujus ut reddat, obſervetque igitur, ut in ſpeculo, aliorum aliarum confeſſionum præprimis Judæorum, Ethnicorum, Papiſtarum &c. in ſimilibus ſibi ſimilium nugatorum actiones, quam male, etiamſi falſiſſime de Chriſtianis, de piis, qui iiſcum facere detrectabant, ſenſerint & judicaverint, & ex iis nonnulli, ſed ut Phryges, nimis ſero ſapuerint, errores ſuos craſſiſſimos agnoſcendo, cujus rei autor ipſemet exemplum Magiſtratus Embdani p. 528, clare ſatis refert.

p. 35. l. 3. *Foxus indies homines quamplurimos ad ſe convertebat.* Pagina vix præcedenti 33. l. 10. quales Foxi meditationes fuiſſe refertur, ex quibus nil minus, quam ut homines ad ſe, verum ad Deum convertere voluerit, eliciendum.

Ib. l. 21 *Et erat hoc unum omnibus propoſitum, cunctis hominibus perſuadere, dudum actum eſſe de Chriſtianorum omnium eccleſiis, neque quicquam in doctrina & diſciplina & vita ac moribus intactum atque integrum eſſe &c.* Sic olim alii reformationem in meliora antiquitatis autoritate admittere recuſabant, quibus, [& certo reſpectu etiam autori nunc noſtro] commode opponebat Tertullianus ad Nationes ſequentia: *Per omnia vitæ ac diſciplinæ corruptam in vobis deletam antiquitatem recognoſco. De reliqua converſationis humanæ diſpoſitione, palam ſubjacet, quanta a majoribus mutaveritis cultu, habitu, apparatu, ipſoque victu, ipſoque ſermone, nam priſtinum ut rancidum relegatis, excluſa ubique antiquitate, in negotiis, in officiis, totam autoritatem majorum veſtra autoritas dejecit.* C. 10. p. m. 46. D. 47. A. Neque & iſtud autoris *quicquam* unquam ab ullo Quakerorum tam abſolute, ſicut ipſe hcic profert, dictum.

Ib. l. 28. *Sic illi ad hæc ſe parare, quiſque pro ſe & homines circumſiſtere &c.* Si autori placuiſſet ſui promiſſi recordari, ſibi nimirum abſque exiſtimatione præſumta &c. agendum eſſe, hæc, quæ ibidem producuntur, vel omiſiſſet vel æquiori ſtylo deſcripſiſſet.

p. 36. l. 9. *Multa opprobria in hominum religiones ac nominatim miniſterium præconum &c.* An injuſte hoc factum poteſt quis judicare ex iis,

quæ pag. 103. in ipſa hac hiſtoria proponuntur.

Ib. l. 20. *Obſtinationem*. Hæc erat quoque Chriſtianorum ab Ethnicis quondam in primo & ſecundo ſeculo poſt C. A. perpetua objectio; ſic enim in Apol. Tertullianus: *Illa ipſa obſtinatio, quam exprobratis magiſtra eſt.* Et ad Nat. *Reliquum obſtinationis in illo capitulo collocatis, quod neque gladios neque cruces neque beſtias veſtras, non tormenta, ob duritatem & contemptum mortis, animo recuſamus* &c. Eadem nunc ratio & horum obſtinationis & ita defenſio eadem.

Pag. 37. l. 3. *Sugillabant obtrectabantque.* Sunt expreſſiones ſatis vehementes, quia commune ſtudium & laborem concernit, mitius & verius forſan: corrigebant, admonebantque.

Ib. l. 26. *Qui annus*]. Hæc ablegantur ad not. pag. 34. l. 6.

Ib. l. ult *Ab hoc anno Quakeri commemorant ſuæ naſcentis eccleſiæ miracula.* Vix inveniet quiſpiam in ſcriptis & non niſi rariſſime illos loquentes de miraculis utcunque inter iſtos factis; ſed titillat ſe autor mirum in modum ejuſmodi narratiunculis.

Pag. 39. l. 15. *Præter miracula Quakeri etiam viſiones & prædictiones . . . ſuis tribuebant, & donum ſingulare eſſe aſſerebant ſuum*]. Qui autori, aut ipſe ſibimet ipſi hæc impoſuit, incertum; certum autem eſt, quod quemadmodum iſti nec viſiones nec prædictiones ſuas negaverint, ita etiam eos nunquam aſſeruiſſe, hoc ſingulare ipſorum eſſe donum; ideo contrarium probatione indiget, ſicuti & ipſe hæc in ibi ſequentibus indicat.

Pag. 40. l. 7. *Dicas id illos intendere, ut quædam illius primæ atque Apoſtolicæ Eccleſiæ ſigna oſtentent.* Eſt ne hoc abſque exiſtimatione præ-

ſumta,

ſumta, ſtudio partium, affectibus &c. ſcribere? ô quam facile obliviſcuntur ejuſmodi homines ſui promiſſi!

Ib. l. 25. *Invicta audacia*]. Vid. not. ad pag. 36. l. 20.

Pag. 41. l. 1. *Erat autem ipſorum doctrina hæc, uti plus quid in receptis doctrinis illarum eccleſiarum, a quibus deceſſerant, ſibi judicabant eſſe vitandum, quamquid pro ſe credendum &c. complecteretur.* Talia nunquam ab ipſis pro doctrina habita, uti ipſa & hodierna experientia hæc demonſtrat.

Ib. l. 5. *Pauci, quos habebant articulos fidei.* Magiſterium iſtud cudendi fidei articulos, ſemper fuit & nunc eſt diſſenſionum & contentionum inter Chriſtianos principalis fere cauſa, qui hominum opinionibus magis, quam ipſi veritati, coacte ſubjecti, perſecutionum origines & fulcra, ſchiſmatum ſectarumque autores, & plures ſæpe quaſi ad deſperationem ducentes, primiſque in Chriſtum fidelibus inauditi, ex ſapientia plerumque humana eliciuntur; cum tamen, uti Clem. Alex. Str. lib. 5. loquitur: *Hortetur Apoſtolus, ut fides noſtra non ſit in ſapientia hominum, qui profitentur perſuadere, ſed in Dei virtute, quæ ſola & abſque demonſtrationibus per ſolam fidem poteſt dare ſalutem.* m. p. 549. B. C. Itaque merito abſtinuere & etiamnum abſtinent Quakeri, ſuam in Deum, Jeſum Chriſtum & Spiritum Sanctum &c. fidem proferre ejuſmodi articulorum, uti communis aliorum eſt conſuetudo & mos, fabrica, non abnegantes tamen rationem fidei ſui, ſi opus, & literis & ore declarare.

Ib. l. 9. *Tametſi alii ac plerique omnes ita ab horum Quakerorum ratione omni abhorrebant &c.*

Habuere & nunc habent Quakeri hoc cum primævis Chriſtianis commune, ſi alicui placeat, legat ſaltem inter tot hac de re ſcriptores unicum Octavium Minutii Felicis.

Pag. 44. l. 16. *De quibus Foxo in conventibus &c. poſt ipſorum ſermonum abruptionem &c. altercatio &c. fuit.* Annon autor hic in favorem ſuorum commilitonum, & ſic non abſque ſtudio & partium, aut affectibus, ea proferat, vix dubitandum.

Ib. l. 27. *S. Sripturam nolebat ille Vir verbum Dei appellari.* Abuſum ſaltem notabilem hujusmodi locutionis præſertim ab initio tollere conabatur. Vid. hac de re Errinnerungen. p. 264.

Pag. 45. l. 1. *Foxus non conſiderabat poſitis cauſis his ſuæ cauſæ non multum eſſe diſſimiles.* Quam maxime diſſimillimæ, quantum nimirum ſtatus abſque Apoſtaſia & ſtatus in Apoſtaſia inter ſe ſunt diſſimiles, Vid. not. ad pag. 17. l. 8, 9.

Ib. l. 27. *Foxus tanquam qui omnia divina atque humana perturbaret*]. Hæc vetus Ethnicorum, Judæorumque in Chriſtianos & communis calumnia.

Ib. l. pen. *Dicunt nomen Chriſtianorum apud ſeculum illud prius Chriſti diſcipulis indutum fuiſſe contemptim*]. Vid. Errinnerungen. pag. 37. ſeqq.

Pag. 47. l. 24. *Acri oratione*]. Quæ & qualis, quæſo, in hac oratione acredo, niſi ipſa veritas hanc mereatur appellationem, acriſque dicatur, uti etiam revera ſæpe eſt iis, qui eam odio habent.

Pag. 49. l. 13. *Quanquam in iis nequaquam*

ſuæ

ſuæ locutionis ſermoniſque vim exprimebat &c. Quam male autor more ſuo heic iterum in Foxum & injuſte agat, convenit iis, quæ ſupra paſſim in ſimibilus dicta. Imo hæc ipſa epiſtola ab autore citata contrarium arguit.

Pag. 51. l. 1. *Nihil habebat propoſiti.* Quæ olim Platonem de Moſe dixiſſe feruntur, commodius & verius accommandantur autori heic noſtro, nimirum: multa dicit, ſed pauca probat. Nam ſi quæ, qualia, quanta fuiſſent appoſita, tunc lectori, qui eſt unus ex ſuo uniuſcujuſque, judicio, & non autori, qui eſt pars, ſtudiumque partium vitare heic ob ſuum ſodalem non poteſt, nec debet, incubuiſſet judicare an & quale hoc fuerit Foxi propoſitum. Interim remittitur ad not. p. 17. l. 8, 9. & p. 31. l. 8.

Ib. l. 8. *Concione corporea.* Quid & qualis ſit hæc concio corporea fateor intellectum meum ſuperare.

Pag. 53. l. 6. *Accidit id ſæpius.* Quare autor, ubicunque poteſt, anſam capiat Foxum ad irridendum exponere, vid. not. ad p. 17. l. 9, 9. p. 37. l. 8. & alibi.

Pag. 55. l. 1. *Numerandus progresſus.* Optime olim Min. Fel. *Et quod indies noſter numerus augetur, non eſt crimen erroris, ſed teſtimonium laudis, nam in pulchro genere vivendi & perſtat & perſeverat ſuus, & accreſcit alienus. p. m. 9. A.*

Ib. l. 9. *Vix præter infimi generis multitudinem habebant.* Id quod etiam Chriſtianis objiciebatur initio ſeculi poſt C. A. tertii teſtante Min. Felic. ita: *Ecce pars veſtrum & major & melior, ut dicitis, egetis, algetis, opere, fame laboratis.* p. m. 3. *Quod plerique pauperes dicimur, non eſt infamia noſtra, ſed gloria &c.* p. m. 10. B.

Pag. 56. l. 3. *Gulielmus Dewsburæus*]. Nunquam Foxi diſcipulus, ſed uti ſequentia continent verba, ejus poſtea Collega.

Ib. l. 16. *Buccinator*]. Et heic ludit vocabulo autor buccinatoris, uti in aliis locis cum ſutoris, crepidæ &c. de Foxo, fuit enim ille quondam inter milites tubicen.

Pag. 57. l. 22. *Id viri ſcripta* [ſc. Richardi Hubberthorni]. Vir hic fuit colloquio affabilis, mitis tranquillique ingenii, & ſi in ſuis ſcriptis, ſecundum noſtrum autorem, diſputator fuerit amariſſimus, non tamen ideo probroſus, quia forſan contra præcones pravos, & malignos ipſe egerit.

Pag. 58. l. 12. *Eduardus Burroughius, juvenis, ruſticus*]. Etſi ruſticum eſſe nemini vitio verti poſſit, attamen quia id heic non abſque contemptu aliquo poſitum videtur, ſciat lector eum non ruri, ſed in oppido Kendal comitatus Weſtmorlandiæ ab honeſtis parentibus civibus ibidem natum, & liberaliter educatum fuiſſe.

Pag. 61. l. 10. *Foxio, Foxianiſque.* Ex ſupra dictis ſuis pag. 17. l. 16. ſeqq. clarum, ipſum nunc autorem in ſemet ipſum eſſe judicem ſeverum, licet juſtiſſimum & verum αὐτοκατάκριτον, qui Chriſti profitentes nomen denominat ab homine, id quod indecet Chriſtianos. Ubi quoque memoriæ vel potius conſcientiæ lapſus.

Pag. 62. l. 3. *Margareta non diu poſt hanc ſuam converſionem omisſa ſua colo ac foco &c.*]. Non penitus, nam videtur ex his Autori noſtro prorſus incognitum eſſe, quid ſit concionare aut Euangelizare regimine Spiritus Sancti aut doctrinæ humanæ. In hoc requiritur multum laboris, non adeo meditando, quam libros multos evolvendo, omnia accurate conſiderando, ne contra articu-

los fidei, Synodum particularem, Synodus alias, Claſſes &c. aliquid incidat, locos communes hinc inde ex probatis & ſuæ religioni addictis ſcriptoribus, qui magni nominis, adferendo, exemplisque ex ſanctis & profanis autoribus illuſtrando, & quæ alia humanarum inventionum in arte concionandi præcepta neceſſaria: Quæ in illo ne hilum quidem valent; ſed & ipſa experientia confirmat etiam in fœminis, & jam oſtendit veram Chriſti promiſſionem eſſe, quando ad ſuos, quamvis in alio caſu, dixit: *Non eſtote ſolliciti quomodo aut quid loquimini, dabitur enim vobis illo momento, quod loquimini; Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Matth. 10: 20. Quæ autem animalibus hominibus ſtultitia ſunt; ideo plura his addere non libet.

Ib. l. 28. *Leonardus Fellus*]. Aut male informatus autor, aut plura in pauca redigendo confuſus, errat, hic enim ne ex familia quidem Judicis Thomæ Felli, ergo multo minus filius fuit, ſed merus ruſticus.

Pag. 63. l. 2. *Filius alter Henricus Fellus. Et hi ambo .... doctores*]. Et hic errat autor, nam Henricus quidem fuit & unicus filius Patris Felli, aſt adoleſcens mortuus.

Ib. l. 7. *Sara Fella.* Hæc non de Sara, ſed forte aliquatenus de Iſabella Fella dicenda.

Pag. 66. l, 28. *Idem Foxo accidit Luguballi, veluti hæretico, blaſphemo, deceptorum & impoſtorum maximo.* Nil novi etiam Sanctiſſimis olim accidiſſe, ſic enim Linus. [ſeu quicunque alius.] lib. 2. ſcribit. *Nero vocat Paulum, ſenſuum alienatorem, mentium immutatorem, maleficum impoſtorem, criminatorem.* p. m. 74. D.

Et

Et Tertullianus de Nat. ait: *Tertium genus dicimur Cynopennæ aliqui, vel ſciapodes, vel aliqui de ſubterranea Antipodes. &c. Verum*, addit, [id quod & heic non immerito notandum,] *recogitate, ne quos tertium genus dicitis principem locum obtineant, ſi quidem non ulla gens non Chriſtiana, itaque quæcunque gens prima, nihilominus Chriſtiana.* m. c. 8. p. 45, 46. D. A. Sic Minutii Felicis Cæcilianus Chriſtianos vocavit *homines deploratæ, inclinatæ deſperatæ factionis.* p. m. 3. Ergone verum?

Pag. 67. l. 1. ſeqq. *Rumor ibat ire in conſilium judices, utrum Sutorem iſtum* [nimirum Foxum] *propter continuas ſutelas ac fraudes mortis ſupplicio afficerent. Quod tamen longe ſecus evenit, ſiquidem Foxus ſutorio atramento, tantummodo acri admonitione, nulla inflicta infamia, abſolutus & dimiſſus.* Sit oculis & mente captus, modo non manuum ſtupore correptus, qui, ſi non videat, palpitet ſaltem infenſiſſimum autoris in Foxum ex his animum, ipſi quovismodo ſutorium artificium exprobrantis: miſer Foxus tum, cum maxime, licet injuſtiſſime, accuſatus, juſtiſſime tamen abſolvitur, aſt heic de novo ab auctore noſtro ipſi *ſutelæ*, quia cum ſutore ſonus voculæ convenit, objiciuntur & *ſutorio atramento* denigratur. Eſtne hoc abſque exiſtimatione præſumta, ſtudio partium, affectibus &c. ſcribere? Sed heic præcipuum & notatu digniſſimum eſt, ſingulare & manifeſtiſſimum Dei in conſervatione miniſtri ſui fidelis adjutorium mirabile. Referri etiam poteſt ad not. pag. 17. l. 8, 9.

Pag. 72. l. 4. *Neque ullam illuxiſſe diem &c. quibus ille* [Foxus] *non cœtum aliquem hominum ſuo ſermone aliquo interturbarit.* Quando erran-

rantes ducere in viam, uti Foxus & alii fecerunt, eſt interturbare, tum hoc verbum non amplius vitii ſed virtutis ſignificatione præditum erit. Cætera ibidem nimis hyperbolica ſunt.

Ib. l. 20. *Sua audacia (nam dici ſe audacem atque imperterritum, adeo non accipiebat male, ut etiam in ſumma laudis parte poneret) omnia perrumpebat, ſuperabatque (ſci. Foxus.]* Id quod autori heic audacia, clarum eſt, eſſe ſummam Foxi in Deum, adjutorem ſuum, fiduciam, qui eum ſemper ex periculis ſæpe ingentibus eripuit.

p. 72. l. 7. *Id magis mirum, Foxum totiens quæſitum, deprehenſum, delapſum in manus inimicorum, totiens ſupervaſiſſe ac non perdiu occiſione periiſſe.* Certe mirum, aſt ſimul inſigne & manifeſtiſſimum ſignum protegentis Dei, quo diligens ejus miniſter & inſtrumentum percommodum Foxus ex non parvis periculis fuit liberatus, quod etiam ipſe Foxus, uti ipſe notavit in ibidem ſequentibus autor, recte agnovit.

p. 75. l. 2. *Tunc [Cromwellus] mittit e domeſticis, qui [Foxum] invitent, nomine Protectoris, ut apud Protectorem cœnet. id Foxus abnuit & ... abit. Indignus, cui tanta daretur opportunitas ſibi porro tantum virum devinciendi & ſuas ac totius ſocietatis utilitates promovendi.* Autor judicat heic Foxum ex aliorum & forſan ſuo ingenio apud homines & ex hominibus gratiam quærendi & aucupandi, id quod in civilibus quidem ſæpe locum habere poteſt, ſed non ita in divinis. Si Servatoris noſtri tempore autor vixiſſet, quis novit, an non æque magiſtrum noſtrum ſummum, quem in his ſequutus eſt ſincerus hic ſuus miniſter & diſcipulus Foxus, indignum judicaſſet, tanta ipſi optime data colloquendi opportunitate

ab

ab Herode deſiderante hanc longo tempore; tantum nimirum virum ſibi porro devinciendi & ſuas ac totius ſocietatis utilitates promovendi, qui tamen Herodem ne verbulo quidem ad reſpondendum dignum æſtimavit.

Ib. l. 11. *Ad quod Protector iis: ergo jam nunc gentem ortam eſſe, quam nullis muneribus ac beneficiis poterat devincire, quibus tamen cunctos homines ſibi reddiderat obnoxios.* Prudentior hic certe autore noſtro de hoc Foxi abitu & optime ibidem judicavit.

Ib. l. 17. *Foxus jam ſuos quoque proferebat libellos, in quibus magis aliarum eccleſiarum religionem deprimebat, quam quæ ſua nova Religio eſſet &c. docebat.* Homines, qui loco ædificii tractu temporis ab inhabitantium depravatis moribus & aliis cauſis corrupti, utcunque licet in loco per quam commodo ſiti, ſuperque optimum & validiſſimum fundamentum olim ædificati, iſtud renovare & reſtaurare & quaſi novum quoddam & melius & commodius in ipſiſſimo & illæſo fundamento neceſſario coguntur ædificare, quomodo poſſibile, ut hoc decenter perficiant, niſi quæ in iſto male conſtructa, carioſa, depravata & moxmox caſura, prius auferant removeantque; ſic non niſi veteribus erroribus inter homines indicatis & ſublatis, quæ nunc puriora locum habere poterant, ita ut non pro novis hæc, quam pro bene purgatis & renovatis in Religione Chriſtiana habenda.

Ib. l. 21. *Quam* [ſc. ſuam religionem] *volebat omnes diſcere de ſe ac ſectari.* Nolebat, imo potius, non poterat nec debebat abſcondere Foxus ſuum ipſi à Deo traditum talentum, hinc omnimodis adlaborabat, uti laborioſum in Vinea

Do-

Domini ſervum decet, eo Domino & Magiſtro ſuo lucrari, non ſibi, nec ſui gratia, quippe cui gratia ſibi immerito ex gratia divina data, abunde ſufficiebat, ſed aliorum hominum miſere in errores abductorum, inque iis viventium; neque de ſe diſcere, ſed de Spiritu, Lumine, gratia ſalvificante univerſali omnibus hominibus data; nec ſe ſectari, ſed Jeſum Dominum ſuum; quemadmodum hæc omnia ex ſcriptis & ſermonibus & tum editis & etiamnum inter hos homines frequentibus luce meridiana clarius.

P. 76. l. 1. *Ut nulla vel laborum perfunctione vel perpeſſione moleſtiarum abſterrerentur, quo a* Foxi *regula & præſcripto diſcederent*] Vix credibile, hominibus ratione etiam ſolummodo communi præditis & forſan non inique, ſi dicam, contra conſcientiam, alios, qui præter generis infimi multitudinem & extra homines vulgares & plebejos, & munere concionatorio [nimirum inter Proteſtantes vid. p. 55. l. 7. ſeqq.] functi, & plures conditione vitæque ſtatu notabiliori aut inſigniori, ſcilicet Paſtores, Judices, olim, tales tam ſapientes, tam prudentes, literatos, doctrina excellentes, ut cerebro carentes & tanquam inſipientes in ſcenam heic producere; quaſi vero iſti hominem Foxum ut hominem ſequuti fuiſſent, nec ab ejus regula atque præſcripto, qualia tamen nunquam, quod ſciam, ab eo edita, diſceſſiſſent. Hoc enim abſolute eſt contra ipſam veritatem, & ipſius, veritatiſque ipſiuſmet doctrinam; Ipſa autem veritas ejuſdemque doctrina heic fuit & eſt regula & præſcriptum, Et hæc iſti non hominem Foxum ſequuti, qua de re ſupra in not: ad pag: 16. l. 8. Ubi externa omnium hominum autoritas è medio tollitur, & ſolummodo

Dei,

Dei, Chriſti, Spiritus Sancti, Gratiæ, luminis, celebratur & prædicatur.

Pag. 78. l. 4. *Cum esſent per totam Angliam multi ſtupidi & ſtulti homines*] abſque unius ex illis nomine hæc ſcripta.

Ib. l. 19. *Aſt ab infantia* [nimirum Guilielmus Ameſius] *male feriatus, nihil ad vitam inſtituendam tuendamque agens, &c.*] Unde hæc autor habeat valde incertum, forſan anſam præbuerit ipſius Ameſii ſcriptum, ſub inſcriptione: **Declaratie van de getuyge Gods/** cujus autor poſtea pag. 81. l. 8. meminit, in quo Ameſius mentionem facit, ſe ante converſionem, ut alii mundani homines vixiſſe, qui nihilominus ideo nec male feriati, nec ignavi nec moribus diſſoluti vocandi. Non abſimili modo loquitur etiam Apoſtolus de Epheſiis: *Cum eſſetis mortui in lapſibus & peccatis, in quibus olim ambulaſtis, ut eſt vita mundi hujus, ſecundum principem, cui poteſtas eſt aëris & ſpiritus nunc agentis in hominibus contumacibus inter quos & nos:* (ſic ſe heic includit ſemetipſum Apoſtolus) *Omnes converſati ſumus olim in cupiditatibus carnis noſtræ, facientes quæ carni ac cogitationibus libebant: eramusque natura filii iræ, ut etiam reliqui.* Eph. 2: 1, 2, 3. Quis autem ideo audeat dicere, ipſos & ipſum Apoſtolum fuiſſe male feriatos, ignavos, moribus diſſolutos? Homines autem videmus, ſæpius a ſuis ipſorummet cogitationibus abſque malefaciendi propoſito abripi & præcipitari in errores non leves, id quod fortaſſis & noſtro in his autori accidere potuerit.

Ib. l. 23. *Applicat ſe*, [Ameſius] *ut aſsolet, ad militiam &c.*] In qua ſe non ſolum ſtrenue

geſſit,

geſſit, ſed ut Centurio, niſi forſan Chiliarcha, ſingularem ſub ſuo regimine militum diſciplinam accurate obſervavit, ita ut vel ſolummodo ebrium quendam ad terrorem aliorum ſevere caſtigaverit, ſicque & in ſuis & multo magis in ſemetipſo etiam communia ſaltem militum vitia iſtis quoque temporibus & ipſe miles abhorruerit: Id quod autori pluribus indicatum: ſed ut in aliis alia, ita & hoc heic ab ipſo neglectum.

Pag. 84. l. 6. *Vir* (de Samuele Fiſchero loquitur autor) *ſingulari doctrina, quam cumulabat mira eloquentia, hauſta ex antiquitate Græca & Latina, quæ etiam poſt hanc vitæ ejus commutationem, ita ei propria manſit, ut in iis quoque ſpiret ſcriptis, quæ deinceps edidit, credo ſecus quam ipſius voluntas ferebat, certe præterquam natura & conſuetudo & inſtitutum moreſque ferunt illorum hominum.* Verum in autore noſtro tritum iſtud: *Qui facile credit, facile decipitur*, & niſi ſanctius in aliis rebus credat, melius ipſi omnino nil credere, quid putandum, hominem talem, qualem ipſe deſcribit, contra ſuam ipſius voluntatem, in rebus tam ſeriis tam magni momenti aliquid ſcribere? abſit ejuſmodi credendi articulus; Nec iſtud *certe* eſt verum *certe*, ſed ſi poſſible ita certe loqui, penitus falſum *certe*, & ipſemet autor reddit *hoc ſuum certe* plus quam incertum ſuiſmet clariſſime expreſſis verbis p. 537. ubi adducit epiſtolam ad Regem Poloniæ ſub ſolius Foxi ſubſcriptione miſſam, „ in „ qua (ſunt autoris verba) adferebantur annotatæ „ & delibatæ undique orationes & ſententiæ verſæ „ e Græca, Latina, Gallica, aliis linguis, nec „ non exempla ac documenta ex hiſtoriis repeti-
ta.

„ ta. Adhæc erat epiſtola ſcripta ita, ut non unius „ ſingularis hominis, verum plurium, & alicu- „ jus multitudinis, aut totius Quakerorum ſocieta- „ tis; alloquium & monitum repræſentaret, videantur ibidem ſimilia plura. Eſt ne hoc: *certe præterquam natura, & conſuetudo & inſtitutum moreſque ferent horum hominum?* Sed quid non valent exiſtimatio præſumta, ſtudium partium, affectus? Et ſi non hoc, nec quicquam aliud, quorum tamen quamplurima, eſſet, unius Barclai Apologia, *certe* iſtud autoris in incertum & nihilum redigeret. Quamvis non negandum horum hominum fundamentum Religionis ſuæ non in cognitione linguarum ſtudiorumque academicorum ſed unice in gratia mera divina poſitum eſſe, & ideo quando iſti iſta non ſolum non attollunt, ſed potius vilipendunt, ſolummodo fit propter nimium abuſum penes omnibus fere aliis confeſſionibus deditos valde communem; ideo caveant ſibi hiſce contradicentes, ne committant ex puerili ſchola fallaciam, a dicto ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter.

Ib. l. 22. *Unde cum omnibus fere muſis* [*ita loquuntur Romanæ eloquentiæ ſtudioſi*]. Scilicet multo magis ut Ethnici quam Chriſtiani:

Pag. 86. l. 28. [*Fiſcherum*] *ſe dictorum Quakerorum, cum in profeſſione tum in prædicatione ad omne munus æmulum atque imitatorem præſtare*]. Nullatenus æmulabatur aut imitabatur hic vir, ſed ex corde & animo cuncta peregit; nec puto ipſum noſtrum autorem honeſte hac de re dubitare poſſe, quacunque etiam in his ambiguitate loquendi utatur.

Pag. 87. l. 17. *Ubi hoc animali ſpiritu deſierunt*]. Id eſt, ubi mortui ſunt; unde hæc phra-

ſis:

ſis: *animali ſpiritu deſinere* pro mori, ignoro, aſt Scripturæ ſacræ non eſſe, puto me certiſſimum, legimus quidem de animali homine περὶ τȢ ψυχικȢ ἀνθρώπȢ & de ſpirituali homine περὶ τȢ πνευματικȢ ἀνθρώπȢ, qui ſibi invicem opponuntur 1. Cor. 2: 14. ſed nullibi quod ego ſciam, de animali ſpiritu ſeu περὶ τȢ ψυχικȢ πνεύματος, id quod an non ſit contradictio in adjecto, judicet ipſe autor, cui hæc æque cognita.

Ib. l. 23. *Foxus ut primus & caput ac princeps non nomine ſed re.* Neutrum certe horum Foxus, & ergo nec nomine nec re, Solus enim Deus & primus & Caput & Princeps eorum & nomine & re, quamvis primum & princeps Dei inſtrumentum in hac divina reformatione Foxum fuiſſe ſano ſenſu non ambigatur. vid. not. ad pag. 16. l. 8.

p. 88. l. 12. *Habebatque jam Foxus agmen infinitorum conſectaneorum ſe concorporantium.* Non erat congregatio ſeu agmen Foxi cauſa, ſed veritatis, pertinebatque ad Deum, non ad Foxum.

Ib. l. 18. *Et quanto in hac concurſatione & religionis concelebratione ac cultus, plus iis obſiſteretur atque obviam iretur, quanto illi plus perſiſterent ac pertinacius inſiſterent.* De Chriſtianis ſuo tempore ſcribit Minutius Felix ita: Ut aurum „ ignibus, ſic nos diſcriminibus arguimur. Quam „ pulchrum ſpectaculum Deo, cum Chriſtianus „ cum dolore congreditur, cum adverſum minas „ & ſupplicia & tormenta componitur? cum ſtrepitum mortis & horrorem carnificis irridens in„ culcat? cum libertatem ſuam adverſus reges & „ Principes erigit? Soli Deo, cuius eſt, cedit?

,, cum triumphator & victor ipſi, qui adverſum ſe ,, ſententiam dixit, inſultat? Vicit enim, qui, ,, quod contendit, obtinuit. p. m. 10. C.

p. 89. l. 11. *Quemadmodum Foxus quandoque ab hominibus fuit eluſus, quandoque ſui eludendi facultatem præbuit hominibus, documento eſſe poſſunt hæc duo exempla.* Minime in his ſui Foxus præbuit eludendi facultatem, ſed improbos iſtos homines male abſque data ab eo eis cauſa eocum egiſſe, vel potius cum ipſa divina gratia ipſis per ipſum exhibita, hoc hæc duo exempla indicant; & non video, quare autor ea proferenda tantam perdat verborum copiam, niſi forſan ſemetipſum iſtis impiis hominibus aſſociando delectetur quaſi hac eorum eludendi Foxum actione, & ita eo animo nunc hæc duo exempla adferat, ac ſi ſui eludendi facultatem præbuiſſet Foxus, ita ut & nunc ridendi eum Lectoribus occaſionem exhiberet; ſed longe utilius & ipſis iniquis hominibus noſtrique autori fuiſſet, recordari admonitionis Pauli: *Ne errate; Deus non irritetur: quicquid etiam ſeminaverit homo, hoc & metet.* Gal. 6: 7. Pergit autem autor ita:

Ib. l. 15. *Prolata, non ſolum illorum hominum, qui intererant, loquacitate,* [qui hi homines? quæ & ubi eorum loquacitas?] *ſed etiam ipſius Foxi, apud ſuos,* [& qui hi ſui?] *de iis rebus commemoratione* [aſt, ſi facta, certe non ita, uti autor heic male refert, & nos jam jam videbimus] *& annotatione in ejus libellis, tanquam commemorabilibus & apud poſteros.* Per vocem: *libellis*; videtur ſine dubio inter alia autorem intellexiſſe Diarium Foxi, ſeu Anglice: A Journal or Hiſtorical Account of the life. &c. of that ancient & faithful ſervant of Jeſus Chriſt, George Fox &c. Lon-

London &c. 1694. quod ſcriptum merito Liber, & non libellus, vocari meretur, eſt enim in folio & conſtat ex paginis pluribus quam ſexcentis, & in quo ambæ hæ hiſtoriæ pag. 240. ſeqq. deſcriptæ continentur, & paulo poſt exhibeantur] *abſque quo ego fabuloſas* [& revera ita ſunt ſecundum autoris relationem] *putarem indignas noſtro opere.*] neceſſariæ certe haut fuiſſent, ſi candide heic, quemadmodum in ſupra dicto Diario extant, expreſſæ eſſent; quia autem & alias ſemper fere, quæ Foxum concernunt, autori nugari placet, ideo ſi talia alibi hoc opere digna, hæ certe nunc non potuerint eſſe indignæ. Hiſtoriolæ autem, uti Anglice in ipſo antea adducto Diario notatæ Latina tranſlatione pene verbotenus ita ſe habent:
,, Nos manſimus per unam noctem Farnham,
,, ubi congregationem habuimus exiguam, & homines erant extreme rudes, tandem vero Domini potentia ſuper iſtos veniebat; finita congregatione hac petebamus nos noſtrum hoſpitium, notumque faciebamus, ut ſi qui timorem Dei habentes veniant, [aut venire queant] ad nos in noſtrum hoſpitium. Tunc veniebat multitudo rudium hominum & quidam ex magiſtratu iſtius oppidi & quidam profeſſores. [i. e. majorem in religione zelum profitentes.] Ego declarabam ipſis veritatem, & quidam ex multitudine iſta valde ruditer ſe gerentes, a magiſtratu ex loco iſto remoti; poſtquam iſti abivere, aliud ſodalitium quoddam rudium profeſſorum & quorundam primorum oppidi veniebant, hi poſcebant faſces aliquot lignorum & potum, quamvis nos prohiberemus; & erat populus tam rudis, uti unquam ullum invenimus, verum potentia Domini eos retinuit

„ nuit, ut nullum nobis nocumentum adferre „ potuerint. Aſt, cum iſti abiverant, reliquere ad „ ſolvendum ſequente mane nobis & faſces & ce- „ reviſiam, quæ popoſcerant; Nos oſtendeba- „ mus hoſpiti quam iniqua hæc res ſit, ipſe vero „ regerebat: oportere nos ſolveremus, & ita „ nos ſolvebamus. Ego ſcribebam quædam ad „ magiſtratum & primores oppidi & præconem, „ oſtendens ipſis & huic, quam bene ab ipſis ipſo- „ rum homines fuerint inſtructi, & ipſis exhibens, „ quam rudes & inciviles horum mores erga pe- „ regrinos ipſorum emolumentum quærentes „ fuerint. Altera hæc eſt: Veniebamus *Limæ*, „ ubi hoſpitium erat repletum agyrtis, ita ut nobis „ noſtriſque equis vix ſupereſſet locus, veſperi „ nos quæſtiones [vel theſes] de origine morbo- „ rum conjiciebamus in chartam, atque agyr- „ tis iſtis mittebamus, ipſiſque notum facientes, „ ſi reſpondere iis nollent, nos ſequente die eas „ pilæ fori affixuros, hoc redigebat eos in ordi- „ nem & eorum impetus reprimebatur, reſpon- „ dere enim ad iſtas non poterant; Verum mane „ iſti exiguum diſcurſum nobiſcum hac de re inſti- „ tuebant; & nos relinquebamus iſtas theſes ami- „ cis quibuſdam hominibus iſtius oppidi convi- „ ctis, ut pilæ fori affigerentur. Hæc eſt tota in iſto, ut autor vocat, libello de Foxo hujus rei annotatio. Unde autem tam ampla hæc hujus autoris circumſcriptio & perverſa exaggeratio? an ex ipſius cerebri aut alterius malevoli inventio- ne incertum. Qualia autem & quanta, rogo, apud ſinceros corde Deumque timentes hæc duo- rum exemplorum documenta, Foxum ullum ſui eludendi facultatem hominibus dediſſe? niſi incongrua & male excogitata interpretatione &

ap-

applicatione rerum optimarum, id quod omnino deteſtandum. Quoniam igitur autor non abhorruerit etiam in hiſce, quæ de Foxo typis expreſſa & in multorum manibus verſantur, tam ſiniſtre & in contumeliam ipſius agere, multo magis certe de reliquis non ita clare exhibitis, quibus tamen ſimili modo Foxum in hac ſua hiſtoria autor paſſim exagitare conatur, idem ſtatuendum; & qui abſque exiſtimatione præſumta & hæc conſiderare dignabitur, nullo negotio inveniet, autorem noſtrum hæc & ſimilia non abſque exiſtimatione præſumta, affectibus, ſtudioque partium peregiſſe.

p. 91. l. 3. *Londini non adeo fervidus.* Et l. 5. *Magis caute quam cupide agens Foxus.* Quibus verbis Foxus inſimulari videtur, ac ſi Londini quicquam remiſerit a ſuo divino zelo; ſed de ejusmodi rebus judicare & autori & ſibi ſimilibus difficile, niſi impoſſibile. Referendum autem ad not. pag. 17. l. 8, 9.

Ib. l. 13. *Neque quicquam de novo ad ſe tra ducebat, neque dignum quicquam profectione hac efficiebat, contra ſpem atque opinionem, ſiquidem ſibi de ea re longe aliud ſpoponderat.* Quomodo autori hæc particularia animo tantum interne concepta innotuerint, valde obſcurum.

p. 92. l. 16. *Plus efficiebant hi, qui Foxi erant ſocii atque interpretes.* Quam falſas ſibi format de Foxo ideas autor, ac ſi ſolus eſſet, qui omnia poſſit, omnia faciat Foxus, minime; ipſi nil magis fuit curæ, quam quo veritas propagetur

 ſive

ſive per ſemet ipſum, ſive per alios, ideo hæc autoris heic verba vana.

p. 93. l. 2. *Quo anno iſti homines eouſque audaciæ procedebant, ut &c. conventum generalem è toto regno edicerent, velut oſtendentes ac ſuis inimicis objectantes, quam jam copia & animorum & virium magnitudine, acuti eſſent, & cum antea de rerum ſuarum progreſſu & incremento non deſperaviſsent, nunc etiam de perfectione ſpem haberent.* Autor heic ex falſo præſuppoſito abſurdas adfert rationes Generalis hujus Conventus primi, quaſi hic fuerit, uti alias mundanorum & carnalium hominum ipſi haut abſimilium, qui oſtentationis cauſa ſeſe jactitantes audaces fiunt ob auctum ſuorum numerum, cujus tamen rei in hoc conventu Generali omnino contrarium, & non niſi ſumme neceſſarium fuiſſe evidentiſſime apparet, eodem modo, uti in hodiernis adhuc conventibus generalibus fieri aſſolet, ubi ſolummodo de Religione, cura pauperum, & ſimilibus piis, non pure mundum, ſed primario cœlum, non corpus, ſed primario animam ſpectantibus rebus agitur, quemadmodum etiam autor ipſe ibidem in ſequentibus confitetur; qua conſcientia igitur poteſt heic autor audaciam eorum ullam elicere? nimiam ergo videtur autoris in hoc & aliis locis parrheſiam eſſe & indecentem.

p. 95. l. 6. *Cui* [*nimirum Concilio ſupremo*] *Foxi intemperantia nota erat.* Mereturne labor indefeſſus diu noctuque Foxi in gloriam Dei æternamque hominum ſalutem nomine *intemperantiæ* indigitari? fatendum equidem Foxum non tam grata hominibuſque conſueta vel quoad loca, & tempora docuiſſe, uti eorum præconum mos ordinariorum; aſt potius obſervaſſe monitum

Apo-

Apoſtoli 2 Timoth. 4: 2. *Prædica ſermonem illum, inſta tempeſtive, intempeſtive argue, objurga exhortare cum omni lenitate & doctrina.* Et ipſe bene obſervavit nos incidiſſe nunc in id tempus, de quo idem Apoſtolus verſ. ibidem 3. ita prælocutus: *Nam erit tempus, quum ſanam doctrinam non ſufferent: ſed auribus prurientes, ipſi ſibi ſecundum ſuas illas peculiares cupiditates coacervabunt doctores. &c.*

Ib. l. 14. *Homines tentando Foxus, ſi quos ad ſuam neceſſitudinem adjungeret.* Foxus nunquam ſua quæſivit, ſed unice Gloriam Dei proximique emolumentum; id quod ex actionibus ſuis etiam heic, quamvis nonnunquam ambigue & non ſine falſi aſperſione conſcriptis, ſatis liquet, ideo hæc autoris conveniunt cum iis, quæ notata ad pag. 17. l. 8, 9.

Ib. l. 22. *Qua in re multi ſic ſe tractabant, ut Scoti nihil ſatis de virorum illorum impudentia & maledicentia & fallacia dici poſſe exiſtimarent.* Rationes, quas autor hujus ſui criminis adfert, parum rationis habent, ſi alicui rerum circumſtantiæ ſint notæ, & quæ vel ex ipſius quodammodo verbis ibidem elici queunt; heic autem prolixe demonſtrare & lectori & ſcriptori valde tœdioſum & abſque utilitate futurum; potiſſimum vero zelus ob communem iiscum religionem ipſum nimis in hiſce abripuit; Religio enim Scotorum eſt Religio Reformatorum, quos inter ipſe præco, ideo forſan tam impudenter maledicere non eſt impudentia ipſi vel maledicentia; ſupra de ædificii emendatione & renovatione actum, ubi certe verminoſa, putrida, male ſita, inique intruſa abrumpendo, decutiendo, frangendo, dejiciendo non mollibus digitis mani-

nibuſque, ſed malleis ferreis, ponderoſis, tudibus, fiſtucis, vectibus, longuriis & ſimilibus inſtrumentis durioribus, & ita non abſque ſtrepitu quodam, tumultu, turbulentia aliqua fieri poteſt; ſic etiam in exturbando verbis tantum, licet ſeveris, pravas conſuetudines, inſolentes ceremonias, præpoſterum alicujus religionis cultum, hoc non poteſt non a parte adverſa quam impudenter & maledicentia accipi & pro fallacia haberi, quod minime fallaciæ indicium habet; attamen, id quod eſt optimum, pars adverſa in ejusmodi rebus ſimul etiam Judex eſſe nequit, alias enim Papiſtæ optimo niterentur jure, Lutheri, Calvini aliorumque reformationes impudentiæ, maledicentiæ, fallaciæ & adhuc pejorum nominum appellatione notantes; qualia uti autor ipſis vix conceſſurus, nec ergo & ipſi hæc concedenda, aut ipſi ad probandum incumbit, ſe meliori illorum, in ſimili hac re, jure gaudere, & nihilominus abſque exiſtimatione præſumta, affectibus & ſtudio partium, ſine quibus nec hæc ab ipſo ſcripta.

Ib. l. 28. *Juxta ſuas ſine judicio opiniones &c.* Quantam heic & qualem ſibi fingit autor autoritatem, ita ſine judicio alios ſine judicio judicans? niſi rurſum zelo religionis perculſus & odio nimio in iſtos homines incitatus & ſimul oblitus promiſſi abſque exiſtimatione præſumta, ſtudio partium, affectibus &c. hæc ita calamo ſuo exciderint.

p. 96. l. 2. *Præterea cum Scoti &c. diem dominicam appellarunt diem Sabbati, ac eam ſtricte obſervarent &c.* Foxus *& ſocii ubique concionabantur, Scotos Sabbati diem nefarie polluere nundinationibus &c. id quod ipſi exponebant, Scotos operas iſtas facere*

re die ultima hebdomadæ, at vero eam diem Sabbati diem eſſe ſecundum præceptum Dei traditum Judæis. Unde hæc narratiuncula & quæ ejus circumſtantiæ, dubium; Nihilominus forſan non abſonum conſiderare, quod quemadmodum videmus eos in omnibus confeſſionibus, qui ſacra, ut vocant, cœna utuntur, ea die, qua utuntur, aliquatenus modeſtiores ad minimum externe ſeſe gerere, abſtinendo à ludis, comeſſationibus & aliis vitiis, quæ alias temere aliis diebus & propter uſum & conſuetudinem fere ut virtutes exercent; ita & Scotos diem dominicam ſtrictius & fortaſſis non abſque ſuperſtitione quapiam cum opinione Sabbati a Deo inſtituti obſervaſſe, vero autem iſto Sabbato iniquis & ſolummodo mundanis negotiis & actionibus abuſos fuiſſe; ideo Foxo & Sociis obſcurius paululum loquendi, quo accuratius illi ipſi Scoti in ſuas actiones inquirerent, occaſionem dediſſe. Ut autem autor rectam Foxi ſociorumque cauſam in Sacris inviolabiter ſtabilitam ſiniſtre interpretari poſſit, ſiniſtram vero Scotorum ſacræ ſcripturæ penitus contrariam recte, hoc lin. 6. ibidem, ut putat, validiſſimo confirmare intendit argumento, nimirum: *Ut verba valent uſu*; id quod tam verum & infallibile, eſt quam verum & infallibile eſt per uſum facere numerum ſeptimum, octavum; aut octavum ſeptimum, vel ſeptimum diem, octavum,& octavum diem ſeptimum; hoc tamen fieri nequit, etiamſi craſſimum talem errorem tota Scotorum natio cum præcone noſtro defendere audeat, quia multitudo errantium non parit errori patrocinium, & quod in toto ſemel falſum neque per mille annos imo nunquam erit verum. Tritum hoc autoris alias & frequentius ita exprimitur:

mitur: *Verba valent ut nummi*; ſcilicet per uſum, ipſe autem reſpiciens hujus manifeſtam imbecillitatem cautius abſtinuit, ſicuti enim injuſtiſſimum & iniquiſſimum eſt, ut moneta cuprea valorem argenteæ æquet, quarum tamen, proh dolor! uſus & conſuetudo nimium quantum nunc communis, ſic etiam rebus verba alia, quam propria, & non raro bonis mala, & malis bona imponere. Cuinam igitur conveniunt nunc magis ignominioſæ iſtæ voculæ: *impudentia*, *maledicentia*, *fallacia*, Foxone & ſociis, an autori noſtro & ſuis Scotis?

Ib. l. 20. *Cæterum habebat Foxus in toto curſu ſui miniſterii &c. quocunque tempore &c. alicubi conſedebat, ac loquebatur cum ſuæ ſectæ hominibus, etiamſi duo aut tres adeſſent &c. hoc nominabat habuiſſe ſe, inveniſſe ſe conventus &c. Quod ſi ex auditoribus erant, qui non obſtrepebant. &c. hos nominabat convictos & conſociatos.* Et heic ſuum obtinet morem autor, Foxum quovis modo exagitandi; ſed quid obſtat, quare Foxus non potuerit conventum duorum aut trium legitime vocare conventum? inprimis, uti heic factum, qui in nomine Jeſu conveniunt, quia ipſe Jeſus Mat. 18: 20. expreſſe dicit: *ubi duo aut tres congregati ſunt in nomine meo, illic ſum in medio illorum.* Quo in loco Euangeliſta utitur verbo, cui Græcum, Synagoga, quæ certe eſt conventus, aut congregatio, originem ſuam debet. Sic dubio procul eadem de convictis & conſociatis ibidem autoris fabula.

p. 97. l. 2. *Quandoque ſi qui erant, qui cum aliqua ingenioſa aut acuta reſponſione aut quæſtione aut argumentatione urgebant, quum ad rem propoſitam viciſſim reſpondere aut quæſtionem ſolvere*

aut infirmare argumenta nequibat, *diſcedebat*, *aut ſic evitabat*, *hanc excuſationem adferens*, *quod gravis & periculoſa diſquiſitio eſſet*, *quod eſſent qui inſtituebant rixari &c.* Ut in præcedentibus ſic etiam in his autor inimicum ſuum animum cohibere non poteſt, quin eum oſtendat erga Foxum; quis enim & ob hoc autoris ipſius exemplum dubitet & alios ſuos malevolos eodem modo eocum in hiſce rebus egiſſe; ita ut ipſe prudenter ejusmodi excuſationes proferre ad reſpondendum coactus fuerit, quid dicendum de multitudine abſolute pravorum, ſcopticorum & ſimilium, tales ipſi quoque & pejores argumentationes & quæſtiones proponentium, nullam reſponſionem merentes? Præterea, quæ heic & alibi contra Foxum ab autore dicuntur, non eſſe fidei articulum credat lector velim, adeatque notam ad p. 17. l. 8, 9.

Ib. l. 12. *Qui ad Foxum & Quakeros tranſibant*, *non pauci erant &c. homines viles*, *tabernarii etiam caupones &c. hos omnes indiſtincte &c. appellabat profeſſores*, *presbyteros*, *doctores*, *cæteriſque nominibus*, *quæ vulgo indi ſolent publicæ eccleſiæ membris ac miniſtris*, *haut levem invidiam & maculam illi eccleſiæ inurens.* Quot ſint exempla eorum in ſacra Scriptura, profanam taceo, qui a mundo contemptim & viles habiti, in ſervitio tamen divino per Dei gratiam egregia præſtiterint, non eget multis verbis: ſi ergo hi, ab autore viles dicti, Deo grati, Spirituque Sancto pro cujuslibet menſura illuminati fuerint, uti, licet abſque externo inter diſſentientes partes competente judice, ſecundum tamen internum in conſcientia infallibilem judicem omnino fuere, & coram Deo perſonarum reſpectus nullus

ſit,

ſit, quid mali a Foxo commiſſum, iſtos omnes indiſtincte uno eodemque ſemper nomine appellare, ſi unquam iſtos ita appellaverit, presbyteros, doctores &c. cum ejusmodi viles in mundo homines inter primævos Chriſtianos iiſdemque appellationibus nominati fuerint, & adhuc ſub judice lis eſt, quo titulo tales appellationes iis competere queant, qui ſolummodo ſibi ſolis has propria & mera humana ideo iniqua autoritate attribuunt, uti ſunt ipſi publicæ eccleſiæ miniſtri & membra; Videant ergo & hi ne haut levem invidiam maculamque ſuis protervis actionibus vivendo docendoque ſuæ eccleſiæ & congregationi piorum inurant. Nec dubitandum inter iſtos, qui referente Matthæo c. 3: 5, 7. ſimulatque Lucæ relationem c. 3: 7. generaliorem paululum ſpecialius exprimendo, ad Joannem ex variis locis exiverunt, non paucos viles, & niſi etiam tabernarii & caupones &c. attamen & ipſis non adeo abſimiles fuiſſe, aſt ab Joanne tam duriter non alloquutos, ut fuere Phariſæi & Sadducæi, qui inter reliquos advenerant, eos nimirum: *progenies viperarum*; vocante, qui alias erant inter Judæos, uti hodierni miniſtri & membra inter ſuos, docti, literati, doctores, Scripturam exponentes, ſacra adminiſtrantes & magnæ autoritatis, quoad externa, homines.

Ib. l. 24. *Foxus hæc omnia &c. ad ſuos perſcribebat amicos, qui cuncta credebant, & probabant, ac proferebant.* Sibi ſolus in his autor ſapit, omnes enim iſtos, etiamſi ſecundum ſua ipſius verba pag. 79. & ſeqq. prudentes, docti &c. pro inanibus cerebro capitibus habet, quibus tanquam infantibus pappa in os inditur a

quo-

quodam, qui, uti ipſe Foxum æſtimat, vel ſingularis ſimplicitatis vel arrogantiæ &c. eſt; ſed non ſine exiſtimatione præſumta, præcipitantia, affectibus, ſtudio partium, ideo vaniſſime.

p. 98. l. 17. *Et vero aut nullam eccleſiam hac tempeſtate eſſe, aut eſſe hanc, quam iſti novi doctores prætendebant.* Nil novi a Foxo & ſuis inceptum, niſi reformando & abigendo irreptos errores, in præcedentibus notis ad p. 17. l. 7. dictum.

p. 99. l. ult. *Sic illi* [Quakeri] *animo triſti & irato, quicquid ſuſpicionem pravitatis iſtius eccleſiæ poterat movere, congerebant &c.* Quare triſtis, quare iratus animus? Sique iis fuerit, nonne juſtiſſima aderat cauſa ob tot ab eoipſo in antecedentibus enarratos errores adeo manifeſtos, ut nullus pravitatis iſtius eccleſiæ relinqueretur ſuſpicioni locus, quia res ipſa nimis aperta loquebatur.

p. 100. l. 7. *Ita proxime perquam ſeveris & aſperis modis accuſabant illos, qui veniebant nomine Presbyterianorum.* Videtur autori non tam contraria eſſe acta contra Epiſcopales, quam nunc contra Presbyteros, ut qui & ipſi Epiſcopalibus multum contrarii, quamvis reapſe iis nihili meliores in iis, quæ inſtituebant & ipſi; id quod tamen effari ægre fert autor, nec immerito, concernunt enim illum ipſum, ſuamque Eccleſiam, ideo ipſi hoc ignoſcendum, quippe qui abſque exiſtimatione præſumta, affectibus, ſtudio partium in his agere non poteſt nec debet.

p. 101. l. 16. *Cæterum cum Quakeri adeo graviter ſentirent de eccleſiis Anglorum, illi graviſſime quærebantur de iis, quos hæ eccleſiæ reſpiciebant*

bant, *ut ſuos* ANTECESSORES *&* DOCTORES *paſtoreſque.* Qui ſepoſito partium ſtudio reſpicit utriuſque rationes ab ipſo autore ibidem expreſſas, confiteatur neceſſe eſt, & juſte & æque utrumque a Quakeris factum; prioris membri allatis cohærent nunc alterius ab ipſo autore propoſitæ rationes, quoad anteceſſores, Doctores paſtoreſque ibidem in ſequentibus.

p. 102. l. 7. *Quod antiſtites & miniſtri pro &c. ſuo inter ſuis peragendo munere &c. mercedem acciperent, &c. patiebantur.* Cur patiebantur niſi quodammodo ironice? ſcilicet quia non contradicebant Quakeri, nam talem mercedem, qualem Chriſtus ſuis Apoſtolis & hi aliis in ejusmodi negotiis conceſſerunt, etiam hodie concedendam eſſe & legitimam, iniquum eſſet contradicere, ſed non illam, quæ victus & amictus neceſſitudinem incomparabiliter excedit.

Pag. 107. l. 27. *Denique hi viri* (Quakeri) *aſcendebant perveniebantque ad Academias & Scholas, illa ſeminaria Miniſterii eccleſiaſtici &c.*] Humana ſeu mundana ſeu potius Ethnicorum eſſe inventa academias & ſcholas, quis eſt qui unquam pie in iis vixit, & hoc ignoraret? Aliis autem ex fructibus ſemen iſtud cognoſcere æque facillimum, nec cogitandum propter abuſum, ſed ſi quis poſtmodum ſerius probuſque in miniſterio invenitur, (nam de ſtatu eccleſiaſtico heic autoris noſtrorumque tantum eſt ſermo, non Politico nec Philoſophico & quæ eos ſpectant) non eſt ex academiis & ſcholis primario, ſed ex ſingulari Dei gratia, ut quæ & iſtis, qui olim piſcatores, tentoriorum artifices, ita & nunc his, qui ſutores, agricolæ, textores, imo utriuſque ſexus

ſunt

ſunt & fuerunt homines, ſecundum Divinum beneplacitum datur, horumque omnium erat & etiamnum eſt Spiritus Sanctus doctor & informator; aſt in Academiis & Scholiis pro fundamento quaſi poſita ſunt Ethnicorum doctrinæ Philoſophicæ, termini, modique loquendi, diſtinguendi, diſputandi, &c. ita ut ſtatuere ex academiis, ſcholiſque iſtiusmodi Euangelicam veritatem educere velle, perinde eſt ac ex tenebris lucem. Id quod ſolius eſt Dei. Plures hujus rei rationes ipſe ibidem exprimit autor.

Pag. 110. l. 5. *Quam cauſam illi ſic accipiebant, non, ut conſiſterent quique in ſuis eccleſiis, non iis, quas cæteris fatebantur incorruptiores eſſe.* Conſiſtere non poterant in iis, licet quæ cæteris incorruptiores & paululum meliores eſſe videbantur, ac eodem iiscum fundamento niti; modus enim ædificandi ſuper commune iſtud fundamentum erat diverſiſſimus & pene contrarius, Quakeri ſiquidem ſolummodo ab interno veritatis principio, per lumen Chriſti, Spiritum Sanctum &c. incipiebant & progrediebantur ad externa, etiam mundana examinando, & quæ injuſta reprobando & deſerendo; hi ab externis ad interiora, per ratiocinia, ſtudia academica, ſcholaſtica, literarum linguarumque notitiam, (quæ licet ſuis locis non rejicienda,) pervenire ſatagebant, ſalvis & incolumibus mundanis, mundanorumque imo Ethnicorum, Papiſtarumque inventis, quemadmodum horum eſt externus aquæ baptiſmus, fruſtulorumque panis guttularumque quarundam vini uſus, loco Paſchatis Jeſu Chriſti, quod habuit olim cum ſuis Apoſtolis, & loco ſanctæ cœnæ, quam habiturus eocum, & hic cum illo, qui ejus ſtantis ad oſtium

pulſantiſque vocem audierit aperueritque iſtud, & ingredietur ad eum. Apoc. 3: 20.

Ib. l. 18. *Multi ſc. Quakeri illa vitia eccleſiarum non dolenter, non miſeranter commonſtrare &c. ſed quam invidioſe & acerbe omnia referre &c.* Si autori placuiſſet & iſtos multos & iſta vitia, tali tam blando modo tractanda exprimere, commodius potuiſſent diſcerni; nam iſtis vitiis, quorum quorundam & non omnium in præcedentibus mentionem fecit, parum ex tam leni correctione emendatio profuiſſet; forſan oſtendi potuiſſet, quod hi multi multas habuerint cauſas ejusmodi vitia ita taxare, duro ſiquidem nodo durus cuneus, ut proverbium habet, præterea ex ſequentibus patet, quam proterve contra Quakeros propter eorum doctrinam, utiliſſimaſque admonitiones ab iſtis dictis eccleſiis actum; ideo male concludit

p. 111. l. 1. *Dubium non eſt, quin plus amore & ſtudio novitatis ac gloriæ quam animo ſincero ac pio agitarentur.* Nam eſto Quakeros, ut ipſe vult, tam acerbe egiſſe, iſti tamen probi, pii, veritatem amantes, quorum autor multitudinis clariſſimis verbis hinc inde meminit, minime iis acerbis fuere deterriti, quin iniquam deſererent viam & veritatis ingrederentur; ita ut evidentiſſime appareat, non Quakerorum, ſed iſtorum perverſorum in ſuis eccleſiis hominum veritatem odio habentium vitio hæc accidiſſe, ubi ſimul non recordatus eſt autor heic judicans promiſſi ſui p. 8. l. 11. „ Quales hi homines ſint & „ quid ſit habendum de eorum actis &c: *unius-„ cujuſque judicio* ſe relicturum. Et tantum quoque hi homines ab amore & ſtudio novitatis ac gloriæ abſunt, quantum propius ipſis ipſe eos putat: hinc ſequens ibidem autoris monitum optimum

mum, & dolendum illud ipſum ab ipſo in incongrua Quakerorum ſua taxatione non fuiſſe obſervatum.

Ib. l. 6. *Ante multos annos præiverant Brouwniſtæ atque Independentes ſe primum ab eccleſiis Anglicanis propter plurimos abuſus & defectus &c. ſegregantes. Atque ſic nunc Quakeri, opinantes ſe habere eaſdem rationes & cauſas, &c. exiſtimantes illos anteambulones non feciſſe ſatis, novum ſchiſma occiperent, & prorſus novam inter ſe doctrinam & viam vitæ & eccleſiam conſtituerent ac conſectarentur.* Quid Quakeris cum Brouwniſtis & Independentibus? qui iſtorum inimici, eoſdemque ſeverius, quam ulli alii, imo ad mortem uſque, uti autor ipſe exempla adfert pag. 393. ſeqq. perſequuti, & etiamnum, quantum ipſis adhuc limitata & reſtricta poteſtas permittit, perſequuntur? & quomodo hi cum veritate illorum anteambulones dici queant, cum notiſſimum, ſit Quakeros nullum hominem, ſed ſolummodo Dei gratiam pro duce agnoſcere? Porro quam injuſte & malitioſe primis Papatus Reformatoribus, qui etiam propter plurimos abuſus & defectus Papatum reliquerant, idem *novi ſchiſmatis, novæ doctrinæ, viæ* &c. imo novæ hæreſis crimen a Papicolis fuerit objectum, manifeſtiſſimum eſt, quorum tamen ſolummodo & unica ratio, quod ipſi Papiſtæ vel non poterant vel nolebant veritatem hujus reformationis percipere, conſiderare & admittere, certo ſibi perſuadentes ſe eſſe infallibiles, remque ita ſe habere, uti ipſi opinabantur. An non autem nunc huic autori circa Quakeros, qui eodem modo, ut præcedentes reformatores inter alia propter plurimos abuſus & defectus, quos ipſe adduxit paulo ante autor, reliquas ita

 vo-

vocatas ecclefias deſeruerant, idem quod Papiſtis circa Reformationem accidit, heic acciſſe, quis æquo animo dubitet? ut qui majori non gaudet autoritate contra Quakeros, quam Papiſtæ contra Reformatores iſtos.

Pag. 113. l. 13. *Neque illis* [*Quakeris*] *ſcriptura ſacra, ut nos id vocabulum capimus.* Quakeri omnino faciunt cum Apoſtolo 2. Tim. 3: 16, 17. dicente: *Omnis ſcriptura divinitus inſpirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad diſciplinam in juſtitia: ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum perfecte inſtitutus.* Si itaque iſti Nos vel contra vel præter hæc aliquid habeant, bene dixit autor, alias non. Vid. Rob. Barcl. Apol. Thes. 3. in Ed. Angl. Pag. 41. Lat. 31. Germ. ſup. 40.

p. 116. l. 22. *Aſt non ſic, ut cultus iis locis atque temporibus adſtringatur, ita ut neceſſarie peragatur, inchoetur & finiatur.* Cum grano ſalis, ut dicitur, hæc intelligenda, oſtendit enim praxis eorum certo contrarium. Vid. dicta Apol. Th. 11. Angl. pag. 242. Lat. 220. Germ. 245. Quamvis non male Clem. Alex. Strom. lib. 7. dicat: „ Eſt omnis locus ſacer, in quo Dei accipimus notionem & cogitationem & tempus, p. m. 724. A.

p. 117. l. 1. *Viguiſſe quidem in eccleſiis Apoſtolicis illos ritus,* [videlicet Baptismum & ſacram cœnam] *ſed ut figuras, ad tempus, quoad ipſam rei ſubſtantiam obtinerent.* Aberrat a via autor, quaſi rei ſubſtantia Apoſtolici homines caruiſſent, ſed ideo inter alias rationes hi duo Judæorum ritus præcipui, ſcilicet Baptiſmus aquæ & feſtum Paſchatis, manſere inter Judæos fideles, quoniam eorum, ut a Deo expreſſe ipſis manda-
torum

torum, tam cito non poterant obliviſci, neque ea removere, & non ſolummodo hi, verum etiam circumciſio, totaque lex Moſaica, uti exemplum hujus rei videmus Act. 15:5. vid. Apol. Th. 12. de baptiſmo Ang. p. 290. Lat. 264. Germ. 304. & th. 13. de Communicatione & participatione corporis & ſanguinis Chriſti. Angl. 317. Lat. 287. Germ. 331. Itemque Errinnerungen &c. p. 205. ſeqq. p. 255. ſeqq.

p. 117. l. 26. *Dein ſibi temperabant [Quakeri] a voluptatibus, & cultu & amictu corporis delicato &c. & odio habebant ſpectacula &c. & genus omne jocandi & cachinnos, tum vultus, voces, geſtus, motus, ſalutationes, blanditias, obſequia & ſimilia &c.* In his omnia eodem modo a Quakeris acta, uti legimus a primævis Chriſtianis factum; ſic enim Athenagoras leg. pro Chriſt. „ Spe vitæ æternæ freti, præſertim hanc vitam „ ejuſque delicias & ſenſuum etiam animæque „ voluptates contemnimus. p. m. 36. D. & „ Clem. Alex. ſtrom. lib. 6. Qui verbo ſunt uncti erubeſcentes ſervi fieri voluptatis p. m. „ 670. A. Idem pædag. lib. 2. In ſumma & „ alimenta & veſtes, vaſa & ſuppellectilem & „ quæcunque in domo ſunt, atque ipſam, ut „ ſemel dicam, vitam oportet eſſe conſentaneam rectæ Chriſtiani hominis inſtitutioni, „ prout conducibile fuerit accommodatam perſonæ, ætati, ſtudio & tempori. c. 3. p. m. „ 162. A. Idem ibidem: A riſu abſtineant, „ rerum autem ridicularum vel ridendarum potius actionum imitatores exigendi ſunt a noſtra „ republica c. 5. p. m. 166. E. Idem ibid. l. 3. „ Nobis concedit pædagogus veſte uti, ut non „ arte variegantì, ſed naturæ generanti nos ac-

„ com-

„ commodantes, quicquid eſt fallax & veritatem
„ ementitur, repellentes, quod eſt ſimplex &
„ uniusmodi veritatis ampleꝺamur. c. 11. p. m.
„ 244. A. Id. ib. Ne ad ſpectacula quidem
„ nos Pædagogus deducet. Nec inconcinne
„ ſtadia & theatra peſtilentiæ cathedram quis
„ vocaverit. c. 11. p. m. 253. D. Et Tertull.
„ de Spectac. Qui ſtatus fidei, quæ ratio virtu-
„ tis, quod præſcriptum diſciplinæ inter cætera
„ ſecularium errorum etiam ſpectaculorum vo-
„ luptates adimit. c. 1. p. m. 72. A. Et hic ibi
„ porro: Hoc modo etiam a theatro ſeparamur,
„ quod eſt privatum conſiſtorium impudicitiæ,
„ ubi nihil probatur, quam quod alibi non pro-
„ batur. c. 17. p. m. 80. B. Quoad vultus vero,
voces, geſtus, motus, iſta ſaltem in iſtis illi
evitabant, & etiamnum hodierni evitant, quæ
impudenter, immoderate & hypocritice &c. a
mundanis hominibus fiunt; de ſalutationibus vi-
deatur nota ſequens ad

p. 118. l. 3. *Qualia vulgo in ſocietate ac congreſſibus hominum obtinent.* Quia ſolummodo ſecundum malam in mundo conſuetudinem abſque ratione, neceſſitate, & plerumque ſimulate & ad decipiendum conficta peraguntur, ideo Quakeri ab iis abſtinent, & ſecundum ſimplicitatem & veritatem incedunt, ſuaque perficiunt, quemadmodum & olim in primis tribus ſeculis pii. Sic Tertullianus ſuo tempore ſcribit in Apologet. „ Pietas & religio & fides Imperatoribus de-
„ bita, non in hujusmodi officiis conſiſtit, qui-
„ bus & hoſtilitas magis ad velamentum ſui po-
„ teſt fungi, ſed in iis moribus, quibus civili-
„ tas tam vere in Imperatorem, quam circa om-
„ nes neceſſe habet exhiberi. Neque enim hæc

ope-

„ opera bonæ ments, ſolis Imperatoribus deben-
„ tur a nobis; nullum bonum ſub exceptione
„ perſonarum adminiſtramus, quia nobis præ-
„ ſtamus, qui non ab homine aut laudis aut præ-
„ mii expenſum captamus, ſed a Deo exactore
„ & remuneratore indifferentis benignitatis; ii-
„ dem ſumus Imperatoribus, qui & vicinis no-
„ ſtris, male enim velle, male facere, male dice-
„ re, male cogitare de quoquam ex æquo veta-
„ mur. Quodcunque non licet in Imperatorem,
„ id nec in quenquam: quod in neminem, eo
„ forſitan magis, nec in ipſum, qui per Deum
„ tantus eſt. m. c. 36. p. 29. D, 30. A. Et ri-
det quaſi iſtos, qui ad omnem occurſum majoris
cujuſque perſonæ decreſcentes. De Patient. m. c.
11. p. 128. B. & quod de ſpectaculis dixit, com-
mode etiam heic adduci poteſt, nimirum:
„ Tanta eſt voluptatum vis, ut ignorantiam pro-
„ telet in occaſionem, & conſcientiam corrum-
„ pat in diſſimulationem. Ad utrumque adhuc
„ forſan alicui opiniones ethnicorum blandiun-
„ tur, qui in iſta cauſa adverſus nos ita argumen-
„ tari conſueverunt: Nihil obſtrepere religioni
„ in animo & in conſcientia tanta ſolatia extrin-
„ ſecus oculorum vel aurium. Nec vero Deum
„ offendi oblectatione hominis, qua, ſalvo er-
„ ga Deum metu & honore, ſuo in tempore &
„ ſuo in loco frui, ſcelus non ſit. m. c. 1. p. 72. A.
„ Et de Corona ait: Dicimus ea demum & no-
„ ſtris & ſuperiorum uſibus & Dei rebus & ipſi
„ Chriſto competiſſe, quæ meras utilitates &
„ certa ſubſidia & honeſta ſolatia neceſſariis vitæ
„ humanæ procurant, ut ab ipſo Deo inſpirata
„ credantur, priore proſpectore & inſtructore &
„ oblectatore, ſi forte, hominis ſui. Quæ ve-

,, ro hunc ordinem exceſſerint, ea non conve-
,, nire uſibus noſtris, præſertim quæ, propter ea
,, ſcilicet, nec apud ſeculum, nec in Dei rebus,
,, aut in converſationibus Chriſti recognoſci eſt.
,, m. c 7. p. 105. C. Pompæ diaboli & angelo-
,, rum ejus, officia ſeculi, honores & ſolemni-
,, tates, popularitates, falſa vota, humana ſer-
,, vitia, laudes vanæ, gloriæ turpes, in omnibus
,, iſtis idololatria. m. c. 12. p. 109. C. Sic & Clemens Alex. qui in ſecundo vixit ſeculo.
,, Dilectorum in via ſalutationes, qui volunt
,, per res externas ſeſe oſtentare, ne minimam
,, quidem habent gratiam. Si enim in adyto my-
,, ſtice Deum orare convenit, conſequens fue-
,, rit, proximum quoque, quem ſecundo loco
,, jubemur diligere, ſimiliter ac Deum, myſti-
,, ce intus amanter & benigne alloqui, occaſio-
,, nem redimentes: nos enim ſumus ſal terræ.
,, Qui autem amico mane magna voce benedi-
,, xit, ab eo, qui execratur, & maledicit nihil
,, videbitur differre Pædag. l. 3. c. 11. p. m.
,, 257. B. Idem: Cujus eſt inſtitutum, ut pla-
,, ceat hominibus, is Deo placere non poteſt,
,, quoniam non quæ conferunt, ſed quæ dele-
,, ctant, multi eligunt. Qui autem Deo placet,
,, bonis hominibus per conſequentiam fit gratus
,, & acceptus. Strom. l. 7. p. m. 741. D. Et
,, Theophilus Antiochenus ad Autolyc. lib. 3. ait:
,, Tarquinius Superbus primus decrevit, ut ſi a
,, quo ſalutatus foret, ab alio reſalutaretur p. m.
,, 137. B. Et Minutius Felix in tertio ſeculo:
,, Principibus & regibus, non ut magnis & electis
,, viris, [ſicut fas eſt] ſed ut deis turpiter falſa adu-
,, latio blanditur, cum & præclaro viro honor
,, verius, & optimo amor dulcius præbeatur. p. m.
8. E.

„ 8. E. Idem. Nos, qui moribus & pudore
„ cenſemur, merito malis voluptatibus & pom-
„ pis veſtris & ſpectaculis abſtinemus, quorum
„ & de ſacris originem novimus, & noxia blan-
„ dimenta damnamus. p. m. 10. F.

p. 118. l. antepen. *Tantus hominum ad primos illos Quakeriſmi inventores atque inceptores confluxus.* In præcedentibus ſæpe admonuimus, Deum, non homines, eſſe hujus rei inventorem & inceptorem, Foxus autem & alii fideles miniſtri ſaltem inſtrumenta; & quare hoc quaſi in ludibrium & Chriſtianum indecens effingatur vocabulum Quakeriſmi, etiam non liquet; nec quoque aliam ob cauſam erat heic confluxus, quam quæ olim Apoſtolorum tempore confluxus, ut & primævorum Chriſtianorum, id quod ethnici æque, uti plurimi alii inter Chriſtianos ſic dictos non capere, ſed bene carpere, poterant, aſt male, ſicuti Minutius Felix hac de re ita ſcripſit: „ Quod
„ indies noſtri numerus augetur, non eſt crimen
„ erroris, ſed teſtimonium laudis; nam in pul-
„ chro genere vivendi & perſtat & perſeverat
„ ſuus & accreſcit alienus. p. m. 9. A.

p. 120. l. 27. *Sic nihil æque quam ſuos conventus amabant.* Et quidem juſtiſſime etiam ad mandatum Apoſtoli Hebr. 10: 24, 25. *Et obſervemus alii alios, & ut nos acuamus ad charitatem & bona opera. Non deſerentes aggregationem noſtri mutuam, ſicuti mos eſt quibuſdam, ſed adhortantes alii alios; idque eo magis, quod videtis illum diem appropinquare.* Sic in Homil. 3. quæ Clementi Rom. adſcribitur, legimus ſequen-
„ tia: Ante omnia, ſi & vobis dicere neceſſe
„ eſt, frequenter convenite, utinam ſingulis
„ horis, alioqui conventus ſtatis diebus; Nam

„ ſi hoc feceritis, intra muros eſtis aſyli; Per-
„ ditionis quippe initium eſt iſta deſertio. c. 69. p.
m. 598. Ignatius vero in Ep. ad Eph. monet ita;
„ Date operam, ut crebrius congregemini ad gra-
„ tias Deo agendas, & ad eum laudandum,
„ quando enim ſæpius in idem loci convenitis,
„ labefactantur vires Satanæ & concordia ve-
„ ſtræ fidei ſolvitur exitium, quod ipſe infert.
c. 13. p. m. 877. Plura hæc res clara prohibet
addere.

p. 121, l. 16. *Et etiam virgines & puellæ, neque tantum mulieres, uſitata ad hoc tempus viris officia obire & publice docere, ac more concionatorio agere.* Quomodo poteſt autor prædicandi Euangelium morem uſitatum ſaltem ad hoc tempus viris officium vocare, cum tam clara ſint in N. T. exempla etiam mulierum, queis de actum in not. ad pag. 17. l. 8. ſub not. 6. in ſtatu abſque Apoſtaſia, & ita fuit inter fideles in ſeculo poſt A. C. ſecundo, ſic enim Juſtinus Martyr in Dial. cum Tryph. „ Dictum eſt aſcendit in al-
„ tum &c. dedit dona filiis hominum; ac rur-
„ ſum in alio vaticinio dictum eſt: & futurum eſt
„ poſtea effundam ſpiritum meum ſuper omnem
„ carnem & ſuper ſervos meos & ſuper ſervas
„ meas & prophetabunt. Eſt apud nos videre
„ & fœminas & maſculos dona a ſpiritu Dei ha-
„ bentes. p. m. 315. B. Et Clem. Alex. qui
in 2. & 3. ſeculo, ſtrom. *lib.* 4. ſcribit: „ Licet
„ ei, qui ex more noſtro vitam inſtituit, etiam
„ abſque literis philoſophari, ſeu ſit Barbarus,
„ ſeu Græcus, ſeu ſenex, ſeu puellus, ſeu mu-
„ lier &c. eſt autem apud nos extra controver-
„ ſiam eandem naturam in unoquoque genere,
„ eandem etiam habere virtutem, Non aliam

ergo

„ ergo habet naturam mulier, quod attinet ad „ humanitatem, aliam vero videtur vir habere, „ ſed eandem; quare etiam virtutem &c. p. m. „ 497. &c. Vid. ibid. plura in ſeqq. Ita & Tatanus Aſſyrius in ſecundo ſeculo in Orat. contra Græcos: „ Ne irrideatis noſtras mulieres, quæ „ nobiſcum philoſophantur, noſtræ vero omnes „ pudicæ ſunt & intentæ lanificio virgines, divos „ ſermones ediſſerunt, p. m. 168. C: In eodem quoque ſeculo Irenæus lib. 3. adverſ. hær. ait: „ Paulus ſcit [1. Cor. 12.] viros & mulieres in eccleſia prophetantes. c. 11. p. m. 259. D. Aſt Tertullianus in II. & III. ſeculo vivens, rigoroſus alias hujus muliebris ſexus cenſor, attamen lib. 5. adverſ. Marc. ſcribit: „ Apoſtolus præ„ ſcribens ſilentium mulieribus in eccleſia, ne quid „ diſcendi gratia dumtaxat loquantur, [cæterum „ prophetandi jus & illas habere jam oſtendit, „ quum mulieri etiam prophetanti velamen im„ ponit] ex lege accipit ſubjiciendæ fæminæ au„ ctoritatem. c. 8. p. m. 471. C. Qui tali modo ſcripta veterum perluſtrabit mecum, plurima hujus generis indicia, quorum heic jam nonnulla brevitatis cauſa prætereo, & alterius, ad mutationem ſtatus Chriſtianiſmi hodierni a priſtino pertinentia inveniet, ita ut quædam, quæ ab hodiernis carnalibus inter veros Chriſtianos pro monſtris habentur, fuerint olim inter iſtos primævos æque ut nunc mera divina. Sapienti ſat, inſipienti omnia vana.

p. 122. l. 5. *Jam nunc mulierum conſuetudo docendi ac diſserendi palam etiam atque etiam minutatim, hodieque fere univerſim in deſuetudinem abierit.* Non ita *univerſim*, uti forſan autor velit, nam contrarium in Anglia ejuſdemque provinciis hoc irritum reddit.

Ib.

Ib. l. 17. *Quare multi &c. confugiebant ad hos, [Quakeros] inter quos tamen non pauci reperti, qui &c. modo religionem ſuæ humilitatis & obſcuritatis tegumentum, ſuæque inertiæ alimentum habebant.* Valde difficile erit autori vel unico exemplo hæc ſua verba confirmare, licet hoc non negandum, plures adhuc in veritate infantes fuiſſe admiſtos & amicabiliter habitos, alias enim, ut autor in præcedentibus, ſc. pag. præcedenti linea ult., bene dixit, cum dicit: *Quanquam illi* [ſc. Quakeri] *in recipiendis & admittendis hiſce hominibus non tam faciles erant, & ſingulos, quanta poterant diligentia, diſcernebant.*

p. 124. l. 3. *Et cum ratio vivendi uſque eo conſuetudini & moribus omnium e regione eſset oppoſita &c.* de his ad pag. 118. l. 3. actum, quæ hunc locum & ibidem ſequentes, ut ſpero, exemplis primævorum Chriſtianorum illuſtratura.

Ib. l. 18. *Hinc inviſi atque exoſi omnibus, cum quibus aliquid negotii habebant.* Sc. iſtis, qui externos hypocriticos geſtus mundanorum per conſuetudinem firmatorum a ſinceritate & ingenuitate horum hominum diſcernere inepti; alii autem prudentiores libentius iiſcum negotia inſtituebant, certi equidem abſque ulla falſitate hos agere.

Ib. l. 19. *Præcipua res, quæ iis magnam invidiam & calamitates multas conciliabat, erat hæc. Prima ipſorum vehementia & incurſio atrox &c.* Non poterant ſecundum veritatem & in fervore ſpiritus agere aliter, in omnibus enim ad meliora reformationibus a tempore Chriſti & dein Apoſtolorum ac priorum ſeculorum ſimiliter factum; Sicuti autem Judæi, Ethnici, Papiſtæ hæc perferre nequibant, ſeque ob animorum ſuorum cœci-

cœcitatem vehementiſſime opponebant, ideo non mirandum, ſi & ii, quorum autor noſter mentionem facit, ob eandem cauſam ſimilia commiſerint. Cujus dilucidationis cauſa videantur Errinnerungen über Winckler s 3. Predigten. p. 16. & ſeqq.

Ib. l. penult. *Altera erat res, temeritas atque audacia in judicando, in condemnando &c.* Nimis generaliter hæc proferuntur, ſi ſpecialius paululum, forſan, quæ autori noſtro judicando, condemnando &c. temeritas & audacia eſt, fuerit ingens neceſſitas & fortitudo.

p. 125. l. 4. *Quibus in rebus eminebant illi, qui in gente hac Quakerorum locum habebant ac tuebantur principum.* Nullus inter Quakeros principum locus, quia principes non habebant, licet in divino miniſterio alter alteri Spiritus Sancti gratia eminentior, non tamen ideo Princeps, quamvis principem locum obtinebat.

Ib. l. 6. *Huc accedebat perplurium &c. imprudentia atque impudentia.* Quæ poſtmodum ad confirmandum hanc poſitionem ibidem ſequuntur abſque circumſtantiis ad hoc neceſſariis proferuntur, quarum tamen unica ſæpe totum caſum variat, ſecundum ICtor. axioma, & vel ab informatore vel ab autore ipſo omiſſæ, quia forſan contrarium exhibuiſſent.

Ib. l. 13. *Templa cuncti Quakeri contumelioſe vocabant ædeis pyramidatas.* Verum quidem eſt ejusmodi ædes Anglice fuiſſe Steeple houſes vocatas, quæ vulgo longe majori abuſu vocantur eccleſiæ; de quibus quædam in Errinnerungen über Wincklers 3. Predigtem p. 107. ſeqq. adducta. Nam nullatenus vel cum templo ad expreſſum mandatum Dei ædificato Jeroſolymitano

tano vel ethnicorum idolatricis templis comparandæ, ſed ideo diſtinctionis ergo ab aliis ædibus, neque contumelioſe, neque Latine pyramidatæ, forma enim pyramidis omnino carent, ſed proprie iſtud Anglicum **Steeplehouſe** eſt reddendum: ædes turritæ; etiamſi enim vox: **a Steeple** ratione objectorum & turrim & pyramidem ſignificet, attamen cum dicitur: **the ſteeple of the church:** non dicitur: pyramis ædium aut templi; ſed turris, niſi quis velit turrim & pyramidem pro una eademque accipere, licet contra naturam rerum naturalemque linguæ uſum, & ex hoc Dictionariorum autoritatem.

Ib. l. 24. *Erant qui ſcurrili & mimico veſtitu geſtuque corporis, quaſi facta hominum refertis foris aut depingebant, aut deridebant, aut fata inſtantia præſignificabant.* Et heic deſunt circumſtantiæ, queis aut depingendi aut deridendi aut præſignificandi diſcrimina diſcerni poſſint. Aſt fuit quidem aliquando, quamvis ex decem millibus vix unus & alter, qui ob certas rationes ſaccos indutus vel alio modo inceſſerit; Si autem in re ſeria & divina, quales hæ fuere, ejusmodi veſtitus ſcurrilis & mimicus eſt, videat an non in ſimili cauſa & iiſdem veſtitus quorundam Prophetarum, imo Regum & totius populi, quorum in V. F. mentio fit, ſimiliter ita vocati debeat? quod tamen abſurdum.

p. 126. l. 16. *Qanquam illi* [Quakeri] *&c. ſuam ſibi opinionem, pro muro firmiſſimo habentes.* Non erat opinio ipſis pro muro, ſed gratia Dei, aut idem etiam de Jeſu, Apoſtolis & primis hodierniſque veris Chriſtianis poſſit dici, eorundemque fides & certitudo ſub nomine opinionis venire, & ſic ſaltem de internis ſecundum externam mun-

di

di conſuetudinem judicare, impium videtur.

Ib. l. 19. *Neque in eo & Chriſti Salvatoris & illorum Sanctorum virorum dicta ac ſacta reſpicientes,* [Quakeri] *ut caveamus nos ab hominibus, neque vero eos laceſſamus &c.* Sed qualia dicta & facta Chriſti? Certe quam maxime hi Quakeri in his obſervavere dictum Chriſti. Matth. 10: 27, 28. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in luce; & quod in aurem auditis, prædicate in ſolariis.* [Non ſaltem in ædibus, templis, eccleſiis, uti tales congregationum loci vocantur] *Et ne timete ab iis, qui trucidant corpus, animam autem non poſſunt trucidare: ſed timete potius eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in Gehennam.* Nonne Phariſæi & Scribæ tantæ erant inter Judæos autoritatis in regimine quoad Divina & Politica, quantæ vix ulli ex miniſtris iſtarum congregationum, queiscum Quakeris res fuit, unquam fuere? nihilominus a Salvatore noſtro ſæpiſſime, acerbe ſatis, alloquuti, & ſæpius inter alia hypocritarum vocula notati. Sic etiam Joannes ſcripſit de Chriſto: *Facto flagello e funiculis omnes ejecit e templo & oves & boves, & argentariorum numulos effudit, menſaſque ſubvertit.* Joan. 2: 15. Ubi autem autoris noſtri tale [caveamus nobis ab hominibus, neque vero eos laceſſamus &c.] aut ſimile quidpiam in ſacra ſcriptura inveniatur, fateor me ignorare, hoc autem Cavete invenio apud Matthæum 10: 17. *Cavete ab hominibus;* quare? *tradent enim vos in conſeſſus, & in conventibus ſuis flagellabunt vos.* Quemadmodum autem ab Apoſtolis hoc Salvatoris noſtri Cavete optime obſervatum fuerit, ipſique in conſeſſus traditi, in conventibus flagellati, ita eodem

mo-

modo & idem Cavete & eodem effectu, teſte autoris hac conſcripta hiſtoria a Quakeris optime obſervatum. Aſt autoris noſtri Cavete, eſt purum putum politicum ſeu mundanum Cavete, quo vel inter Judæos & Ethnicos falſus Chriſtianus ſimulate docere poteſt.

P. 127. l. 3. *Iidem* [Quakeri] *ſuos judices coram deſpicere &c. uti latores iſtiusmodi legum; ut quod Deus ac conſcientia dictabant, omitterent, aut ei contrarium facerent.* Hæc generaliter dicuntur; forſan, ſi clarius, clarum evaderet, iſtos Quakeros non niſi ob ſummam injuſtitiam judicum querulos fuiſſe, nec tamen eos deſpiciendo, tales conſtituentes leges aut adhibentes, quibus ipſis libertas in timore Dei &c. ad proximi utilitatem æternam, ſuarum conſcientiarum fuerit denegata, ipſiſque ejus rei gratia perſecuti, qualia exempla plurima in hac ſua hiſtoria ipſe autor deſcripſit. Egregia ſunt in hiſce Tertulliani ad Nationes verba: „ Leges merito tam diu juſtæ in Chriſtianos „ & reverendæ & obſervandæ cenſentur, quamdiu „ ignoratur, quod perſequantur, merito poſt agni- „ tionem iniquiſſimæ repertæ cum ſuis machæ- „ ris & patibulis & leonibus deſpuuntur. Legis in- „ juſtæ honor nullus eſt. c. 6. p. m. 44. A.

Ib. l 7. *Et alii de eodem genere &c. eos magiſtratus ubique apud omnes omnibus conviciis proſcindere, & omnia mala imprecari, ac veluti juſſu Dei obnuntiare, immemores & monitoris & auctoris illius ſententiæ, &c. ut etiam inimicos diligamus &c.* Si hæc contra judices iniquos, non tamen conviciis proſcindendo, mala imprecando, ſicuti hæc heic liberius paululum, quam forſan oſtendi poteſt, proferuntur, ſuique & non Dei cauſa fecerint, omnino immemores fuere

iſti-

iſtius Salvatoris noſtri ſententiæ; Cum autem hæc ſolius Dei cauſa in emolumentum proximi peregerint, quemadmodum luce meridiana clarius eſt, eos ea ideo peregiſſe, reſpexiſſeque iſtud ad Judæorum Judices Apoſtolorum reſponſum: Deo magis quam hominibus obediendum eſſe; tunc dici non poteſt, immemores iſtos iſtius præcepti fuiſſe, id quod in tali caſu & cauſa ab ipſo autore p. 130. l. 15. hiſce confirmatur verbis: *Interim Quakeri omnia hæc a ſuo primordio, omni tempore, tanta patientia & firmitudine animi tolerabant perferebantque, ut non modo &c.*

p. 128. l. 13. *Perſecutio gravis inſtitueretur in ſingulos, quotquot novi aut turbulenti quippiam inciperent in templis, in locis aliis.* Novi hoc & turbulenti quippiam videbatur illis, qui publicam ejusmodi admonitionem publico in loco & congregatione inſuetam, ob conſuetudinem loquentis publice unius & ſaltem ordinarii ſemper, & ipſis aſſueti, nolebant admittere.

Ib. l. 15. *Huc eo deinde delicto accedente, quod dare coram magiſtratu juramenta, &c. nollent.* Si ſecundum manifeſtiſſima Servatoris noſtri verba, ejus præceptum accuratiſſime obſervare, meretur appellationem: *delicti*; ipſa certe tandem Veritas delicti nomen promerebitur.

p. 130. l. 16. *Quakeri omnia hæc a ſuo primordio, omni tempore, tanta patientia & firmitudine animorum tolerabant perferebantque, ut non modo multos ſuorum hoſtium fatigarent, ſed etiam plurimos homines excitarent ac pellicerent ad ſuam communionem, ita ſecum reputantes, neque velle ne-*

neque poſſe homines tam intolerandam moleſtiam ſubire ac ſuſtinere, niſi de illarum rerum, pro quibus hæc patiebantur, veritate plane cum ſuo anime certi forent. Ita defatigaſſe olim Chriſtianos ſuorum multos hoſtium inter alia apparet ex Tertulliani ad Scapul. verbis hiſce: „ Arrius Antonius in Aſia, cum perſequeretur inſtanter, „ omnes illius Civitatis Chriſtiani ante tribunalia „ ejus ſe obtulerunt, cum ille, paucis duci juſſis, reliquis ait: O timidi, ſi vultis mori, „ præcipitia & laqueos habetis, cur nobis moleſti. &c. c. m. 4. p. 71. C. & plura ibidem. Sic porro eodem modo & ob eandem cauſam quamplurimi in primis Chriſtianorum temporibus ex ethnicis ad Chriſtum fuere converſi; & inter hos in ſeculo ſecundo ipſe Juſtinus Martyr, ſicuti ipſe de ſeipſo hæc ſcripſit: „ Ego ipſe Platonicæ diſciplinæ ſectator, cum calumnioſe audirem Chriſtianos deferri, intrepide autem ad „ mortem & alia, quæ terribilia eſſe cenſentur „ omnia, adire conſpicerem, ſtatui ipſe mecum, fieri haut quaquam poſſe, ut illi in vitiorum pravitate & voluptatum amore viverent. Apol. 1. ad S. R. p. m. 50. A. Sic & Tertullianus, in ſuo Apologetico: „ Nihil quicquam „ profecit exquiſitior quæque crudelitas veſtra, „ illecebra eſt magis ſectæ. Plures efficimur, „ quoties metimur a vobis &c. Nec tantos inveniunt verba Philoſophorum [ſcholaſticorum, Theologorum ita dictorum, Doctorum, Profeſſorum, Magiſtrorum &c.] „ Diſcipulos, quantos Chriſtiani [hodie iſti Quakeri] factis docendo. Illa ipſa obſtinatio, quam „ exprobratis, magiſtra eſt. Quis enim non „ contemplatione ejus concutitur, ad requiren-

„ dum

„ dum, quid intus in re ſit? quis non, ubi re-
„ quiſivit, accedit? ubi acceſſit, pati exoptat,
„ ut Dei totam gratiam redimat &c. Inde eſt,
„ quod ibidem ſententiis veſtris gratias agimus:
„ ut eſt æmulatio divinæ rei & humanæ, cum
„ damnamur a vobis, a Deo abſolvimur. c 48. p. m. 40. B.

p. 131. l. 18. *Venio ad ſpecimina ſingularia, uti in quibus ſolis rerum teſtimonia &c. verſantur.* Modo, uti ſunt, exhibeantur.

p. 135. l. 7. *Sive ex impugnata nimis vehementer, quin imo impudenter & prave, miniſtrorum verbi divini doctrina ac fama.* Obſervet per hunc locum alios, ſi placebit, Lector, quod niſi ſemper, aſt potiſſimum, quando agitur de iis, quæ concionatorum ſuæ religionis, qui autori heic ſunt miniſtri verbi divini, doctrinam & famam concernunt, vitiaque erroreſque eorum demonſtrantur, tunc valde commoveri autorem;& quæ contra iſtos vel manu palpanda adferuntur, ſunt tamen,ut ipſe vult, nimis vehementer, quinimo impudenter & prave facta, & forſan ob eandem cauſam qua de in not. ad pag. 17. l. 8. 9.

Ibid. lin. 24. 5. *Nam quis cujuſque eccleſiæ miniſter eſſet, prætereo, parcoque his, ut parcam ordini & dignitati.* Lupus Lupum, niſi duriſſimo frigore, vix devorat.

p. 139. l. 30. *Cum iſti homines* [Quakeri] *prorſus innocentes vellent exiſtimari, anſam darent ſtatuendi, eſſe quoque inter eos homines pravos, qui ſe improbis artibus tenerent, & qui ſignificarent, quidnam, ſi facultas ad voluntatem, effecturi eſſent.* Acerbiſſima certe hæc accuſatio, cui nil deeſt, quam probatio neceſſaria. Nam quæ,

quæſo, eſt iſta tam latiſſima anſa ſtatuendi de pravitate inter hos aliorum &c. ? Reſpondetur ex ibidem præcedentibus: quia nonnulli eorum ſe exiſtimaverint innocentes, ergo reliqui pravi. Sed quare hi pravi? Reſp. in ſequentibus, nimirum: *hujus rei documenta hæc erant*, *ſcilicet multorum contumeliæ & maledictiones conjectæ in miniſtros verbi divini atque eorum eccleſias integras* &c. Hinc iſtæ lacrumæ, de quibus actum in not. ad pag. 17. l. 8, 9. & alibi. Sed quis & qualis eſt, & qua autoritate pollet, qui ita judicat? R. unus ex ipſorum ſocietate & numero, ſc. autor noſter. Nonne ergo hic ipſe eſt competens forum, judex & judicium? Eſt certe, quando nec in cœlis nec in terris quicquid invenitur juris. Nec recordatus eſt autor aureæ, quam brevi antea pag. ſc. 139. l. 13. adduxerat, Servatoris ſententiæ: *Quodcunque quis ſibi vult fieri ab hominibus*, *faciat hoc illis*; ſiquidem hanc hi homines bene obſervant, & extra ſuas congregationes & in ſuis congregationibus, ſi neceſſitas adſit, quæ quis proponenda habeat, percipere haut recuſant, nec, ut heic autor, ſtatim judicant, eos eſſe homines pravos, qui ſe improbis artibus tenerent &c. Hæc autem ab autoris exiſtimatione præſumta, præcipitantia, ſtudio partium, affectibus proveniſſe, res ipſa loquitur. Expectent ſaltem autor & alii ſibi ſimiles juſtiſſimum judicium finale juſtiſſimi judicis Jeſu Chriſti, & tunc videbimus quid juris in hiſce rebus divinis & ſpiritualibus ſit; interim hoc autoris contra Quakeros judicium majoris minime eſt valoris & efficaciæ, quam olim Judæorum & Ethnicorum in Apoſtolos & alios Chriſtianos, & tandem Papiſtarum & aliorum perſequutorum in ſuos ſibi contrarios;

Una

Una enim & eadem, exigua quadam differentia, horum omnium eſt ratio, modus & conſtitutio.

p. 140. l. 8. *Quo tempore miniſtri Verbi divini ſuis & quidem ſanctiſſimis, religionibus operarentur.* Ex exiſtimatione ſua præſumta, ſtudio partium, affectibus, iſtos quidem miniſtros verbi divini, ac religiones iſtas ſanctiſſimas vocare poteſt, ſed hoc verum eſſe, nunquam Papiſtis, vix Lutheranis, & difficulter omnibus ſuis perſuadebit. Quare ergo heic.

p. 145. l. 29. *Qui &c. præconi verbi, poſteà quam is finem ſui officii atque operis fecerat, in os mitteret hanc vocem: Preces impiorum ſunt abominatæ Dei. Qua opprobratione, qua nulla poterat eſſe contemptior &c.* Niſi iſte præco ejuſdem eſſet cum noſtro ordinis, hic forſan non tam ſeverus eſſet in his cenſor, neſcio qualem opprobrationem inſignem exin eliciens, verba enim ipſa per ſe clara & vera, an autem male vel bene applicata, quis judicet? autorne an alius? utriuſque enim autoritas utrique parti ſuſpecta nil valet, eoque magis reſpectu autoris noſtri, quia ipſa ſua promiſſa, ſcilicet: ſe abſque exiſtimatione præſumta, præcipitantia, affectibus, ſtudio partium nil acturum, ſæpiſſime in præcedentibus ab ipſo fuere infirmata.

p. 146. l. 9. *Atqui tanta hominibus his aviditas & deſideratio inerat hujusmodi locutionum in his locis &c.* Hæc & quæ ibi ſimiliter ſequuntur, ſunt quaſi ſomnia vigilantis ex iracundiæ ob præcedentia ideis excitata, ad minimum, non abſque exiſtimatione præſumta, ſtudio partium & affectibus; qui hæc æque judicaturus ita inveniet.

p. 147. l. 17. *Aderat &c. quem primo loco oporuerat*

tuerat nominare, *Foxus*, *ſemper primus aut in primis*. Nunquam fere fit mentio Foxi, niſi cum aculeatis quibuſdam additionibus, ut hic primo loco, primus, aut in primis, qui quamvis talia non quæſivit, neque tamen ea ſemper a bonis, ut iis dignus, oblata recuſare valuit.

Ib. l. 23. *Quoniam rumor erat ad Senatum allatus, quum quidam jurati dederant teſtimonium, adveniſſe Roma Londinum quoſdam monachos Franciſcanos, qui ſe nomine Quakerorum occultabant &c. & eſſe in hac ipſa urbe Briſtolii quamplures &c.* Quamvis hunc rumorem, juratumque iſtud quoque teſtimonium a Senatu, uti ipſe in ibidem ſequentibus refert autor, omnino falſum fuiſſe, deprehenſum fuerit, ita ut heic quicquam addere, ſuperfluum videatur, attamen duo certa conſideratione adhuc ex his haut forſan indigna: quia nimirum in ipſa Anglia, ubi hi homines publice & frequenter cum aliis converſantes, ejusmodi apertiſſima mendacia fuerint divulgata, non eſſe mirum, ſimilia & atrociora in Germania & alibi de iſtis hominibus fuiſſe diſperſa, & pro veris, etiam ab iis, qui pro prudentibus & ſapientibus haberi ſatagebant, admiſſa. Dein quam veriſſimum ſit illud Tertulliani ad Nat. quando ita ſcribit: „ Fama quantacunque ambitione diffuſa eſt, ab uno aliquando ore exorta ſit, neceſſe eſt, exinde in traduces quodammodo linguarum & aurium ſerpit, & modicum originum vitium rumores obſcurat, ut nemo recogitet, ne primum illud os mendacia ſeminaverit, quod ſæpe fit aut æmulationis ingenio, aut ſuſpicionis arbitrio, aut etiam nova mentiendi voluptate. c: m. 7. p. 44. B. Et duo hæc ſi autori noſtro ab initio conſcribendi

hanc

hanc ſuam hiſtoriam obſervare placuiſſet, purior ipſa, remotis iſtis falſis nunc immixtis, & ſincerior, ſervatis ſolummodo iſtis veris in Dei gloriam, veritatis demonſtrationem, proximi informationem, ſuumque ipſius emolumentum certo prodiiſſet.

p. 149. l. 5. *Ergo hi verberonem deducunt ad præfectum urbis.* Eſtne hoc uniuscujusque judicio relinquere? ſed præcipitantia hæc autori ignoſcenda, concernit enim ordinem dignitatemque incluſis utilitate & autoritate ſuorum, ſua non excluſa; attamen an ipſi ita judicare, ut adverſario, competat, alibi a contrario oſtenſum.

Ib. l. 27. *Thomas Murfordus inter flocci & nullius pretii homines.* Quæ à pag. 140. cuncta fere proponuntur in ſummam Quakerorum contumeliam, minime fide digna æſtimanda, ut & quæ heic de Th. Murfordo dicuntur, nam ejusmodi homines, ut tales, nunquam inter Quakeros admiſſi, multo minus pro ſuis habiti, omnia enim ad Sanctum Dei omniſcientis cultum dirigunt: ideo ipſi hæc non niſi ab inimico quodam Quakerorum acerrimo communicata videntur.

p. 150. l. 17. *Deinde hora admodum nona.* Forſan Anglice ſcriptum: *at noon*; id quod non eſt hora nona, ſed meridies, quemadmodum etiam aliæ ibidem circumſtantiæ hoc non obſcure Indicant.

Ib. l. 22. *Quibus tamen carceribus quidam non ita conterrebantur, ut non & illic ſuam loquacitatem & maledicentiam proderent.* Injurioſas has voculas: loqnacitas, maledicentia; ex exiſtimatione autoris præſumta, ipſius affectibus, ſtu-

dioque partium oriundas oſtendunt circumſtantiæ ibidem in antecedentibus & ſequentibus verbis, nimirum l. 17. dicit autor: *quidam in media concione interloquebantur*; & l. 25. *ac ſuis epiſtolis* &c. *paſtorum eccleſiæ nomen & famam & fidem &c. lacerarent.* Obſervandum enim & hac occaſione, ſi placet, in ſimilibus & ſemper: Autorem in hac ſua hiſtoria moderato alias ſatis ſtylo progredi, duo ſi ſaltem præcipue excipiantur. 1^m. quando artifices, indoctos, idiotas, mulierculas & ſimiles concionantes adducit. 2°. Cum contra ſacrum, ut forſan putat, in ſua religione potiſſimum concionatorum ordinem agi ab aliis videtur. Nam ſi hoc concionandi munus cuique ſit liberum, qui Spiritu Dei abſque academiarum ſtudiis ad id movetur & quam maxime idoneus eſt, actum eſſet de academiis, actum eſſet de earum Profeſſoribus, Doctoribus, Licentiatis, Magiſtris, Baccalaureis, actum eſſet de ſeminariis miniſtrorum ſuorum eccleſiaſticorum, actum eſſet de futuris fulcimentis eccleſiæ, actum eſſet de concionatoribus ejuſmodi, actum eſſet de eorum omnium autoritate, & quod magis, vivendi medio, ut qui ita neceſſario in eremum deducerentur, ubi pro ipſis neque panis neque piſciculi; ideo talis, æquiores enim ipſis deſunt, contradicendi modus in modo quarto quinque hujusmodi concionatorum mercenariorum generibus proprium, & tribus eorum primariis propriiſſimum; ideo nec huic noſtro peregrinum hoc quidpiam eſſe poteſt vel debet; hinc inter homines ab hominibus ipſi ipſius hæc infirmitas, agnoſcat ipſe vel non agnoſcat, merito ignoſcenda, coram Deo autem videant iſti & iſte.

p. 152.

p. 152. l. 3. *Enimuero hæc homines animo parvo ac non optimo, quos licebat appellare idiotas.* Deſervit jam ille autoris impetus, & languidior paululum ad juſtitiam redit, quamquam non obſervet, cum iſtos homines contemptim idiotas vocat, eoipſo ſemetipſum ſimilem faciat Phariſæis &c. ut & literatis ethnicis, illos autem Petro & Joanni & primævis Chriſtianis veris, qui ab iſtis ſimiliter pro idiotis habiti & ita vocati.

p. 126. lin. ante pen. *Utique parum congruenter ad ipſorum doctrinam atque inſtitutum, cum nihil intereſt, utrum quis faciat ipſe, an ipſe patiatur fieri de ſe.* Omnino permagni intereſt, nam inter ſe quam maxime differt, ſi quis inſons per magiſtratus ſervos occidatur præſente magiſtratu, aut ſi ſemetipſum occidat; ita in hoc caſu, quemadmodum illi ſuum ſibimet ipſis caput non poterant coram judicibus nudare, [non, ut autor hic rurſum vigilans ſomniat, *parum congruenter ad ipſorum doctrinam atque inſtitutum*, ut quorum nullum unquam traditum, ſed unice & ſolummodo propter conſcientiam;] Ita etiam illi præſentibus judicibus non poterant nec debebant accenſis horum lictoribus reſiſtere, ſed ipſorum erat, ea & pejora ab iis injuſte inflicta, ſimilium primævis Chriſtianis, patienter perferre. Ideo ex præcipitantia hæc autoris quadam præcipitata fuiſſe, quis dubitet?

p. 157. lin. 26. *Generalis Disboræus [hoc ſolo nomine virum notant ac deſignant Quakeri, in hoc parum arguti, aut civiles atque officioſi, quod viri in ſe officioſiſſimi & Patroni unius ne nomen quidem explicitius reddiderunt.]* Numne mundana & vana vult autor elogia & titulos hujus viri?

quare non ſufficiat vocula: Generalis, ad ipſius officii autoritatem, & deſcripta actio juſtitiæ & benignitatis, ad ipſius animi æquiratem & bonitatem demonſtrandum? Et quæſo quam rationem hujus objecti quaſi criminis quis aliam excogitare poterit, quam ob aliqualem conſuetudinem, non ex ſacris petitam, ſed hodiernam, mundanam, vanam? Qua de Clemens Alex. in admon. ad gent. optime ita: „ Si rem recte examinetis, in„ venietis nugas eſſe conſuetudinem. p. m. 29. D.

p. 158. l. 7. *In tanta horum hominum* [Quakerorum] *multitudine non deerant, qui ſuis levitatibus & ineptiis & ſibi & toti ſocietati magnam invidiam, & moleſtiam & afflictionem conſciſcebant.* Nomina horum non ſunt expreſſa, nec in ſequentibus exprimuntur, nec quæ, probationis loco adferuntur, circumſtantiæ quare viles & abjecti, quare ſeminudi &c. itaque nec argumentum nec confirmatio in hoc alicujus momenti.

Ib. l. 28. *Etiam non multi reperiebantur inter Quakeros, qui ſive ſcienter ſive imprudenter, aliquid tale, quod talem imperioſum modum referebat, incœptabant.* Si ſibi in his autor certus fuiſſet, abſque dubio in re tam magni momenti unius vel alterius nomen appoſuiſſet, aſt deficiente hoc, quum hos hiſce ſuis verbis intendit enormis hujus criminis ſuſpectos reddere, eoipſo de ſemetipſo vel ſcienter vel imprudenter ſuſpicionem excitat, innocentes hoſce aſtute ita denigrare voluiſſe. Nam iſtis armis uti carnalibus nec contra infenſiſſimos inimicos permiſſum, uti prolixius oſtenditur ab autore p. 117. l. 20.

Ib.

Ib. l. ult. *Unde rurſus Quakeri inducti omnes in ſuſpicionem, ipſos quoque de hoc genere hominum eſſe, & hinc nomen iis datum, ſi non univerſis, at multis, Monarchicorum & armigerorum, & ſi quis talis caſus inter eos incideret, graviter in eos animadverſum.* Confundit heic vel autor ex incuria, vel ejus informator ex ignorantia totam hanc hiſtoriam de monarchicis, ab autore falſe ſic dictis, optarem quoque utrumque ſimul caruiſſe etiam malitia. Nam ſicuti jamjam in præcedenti nota oſtenſum, falſiſſima eſſe ibidem autoris præcedentia de Quakeris dicta, ita etiam falſiſſime iſta connectuntur heic cum hoc ſuo ſequente: *Unde*; Longe enim alia erat & quidem hæc ratio: Quoniam Quakerorum nomen ob puriorem eorum doctrinam & converſationem, ſicuti in primis tribus ſeculis Chriſtianorum nomen, mundanis hominibus erat vel maxime inviſum, præprimis ab initio, & tanquam ſceleſtum traducebatur, ideo quoque malis & peſſime agentibus ſub religionis quodam prætextu vel ex ignorantia vel ex malitia ab aliis communiter attribuebatur hoc nomen, imo & ipſis ſæpe *Ranters*, qui tamen in doctrina & converſatione differebant a Quakeris, ut terra a cœlo; Sic tandem & ipſi qui vocabantur Anglice: **the fifth monarchie men**; Quintæ monarchiæ homines, ſub eadem communi appellatione veniebant; hi autem ſtatuebant Quintam quandam Monarchiam, nimirum Regnum quoddam Chriſti his in terris viſibile & mundanum, & hoc conabantur armis carnalibus introducere, ac poſtquam Carolus II. iterum in regnum reſtitutus, hi anno 1660. numero circiter viginti ſex pedeſtrium armati militum armis in publicum Londini prodibant, quibus in oc-

curſum miſſi equites ex ſatellitio Regis inſigni numero, nonnulli volunt, vel centum vel plures, nihilominus ab iſtis paucis hi plures repulſi, ſequentibus autem diebus majori aggreſſi militum regis copia & vi, capti omnes, nonnullique ex ipſis poſtmodum ſupplicio affecti. Interea percrebuit rumor Quakeros hos eſſe & hunc excitaſſe tumultum, hinc abſque ullo prævio examine an rumor verus vel falſus, vel aliquot centum eorum, quidam numerant vel nonigentos, in Carceres Londini detruſi, iique iiſque ita repleti, ut non fuerit ſedendi multo minus cubandi ſpatium relictum, donec per Dei gratiam excitato favore unius vel alterius in Curia fautoris Regi fuit indicatum, homines hos eſſe omnes inermes, & odiſſe omnem ejusmodi violentiam, imo ſi in eorum ædibus inquireretur, vix bombarda ad volucres, aſt nec aliæ nec gladii aut ſimile quidpiam ad hominis noxam alias in uſu inſtrumentum inveniri poſſe, id quod inquirendo verum compertum, cuncti rurſus in libertatem priſtinam reſtituti. Videmus ergo ex his confuſam autoris in hac hiſtoria notitiam, & rationem quare tam male applicatum fuerit ejus: *Unde.* Dein non Quakeros fuiſſe vocatos: **fifth monarchie men** / ſeu Quintæ monarchiæ homines; ſed hi fuere vocati Quakeri. Hæc hiſtoria de Quakeris ita perverſe evulgata fuit etiam apud exteros, præſertim in Germania ſuperiori per Theologorum ita dictorum libellos, ubi alter alterum, ut grues & anſeres ſilveſtres, ſecutus, quemadmodum etiam autor de ſuis actum in ibidem ſequentibus candide notavit.

p. 161. l. 6. *Quæ omnia Naylor, tantum abeſt ut aſpernaretur, ut cum voluptate am-*

plecte-

plecteretur. Quare autor in his maluerit alia apponere, quam quæ ipſi clare in contrarium fuere demonſtrata, non liquet: Ipſe ſiquidem Naylor mentionem faciens harum rerum in quodam publice edito ſcripto, expreſſe inter alia, cum Joannes Stranger quondam inconcinne ſcripſiſſet: *Nomen tuum vocabunt Jeſus. &c.* dicit: „ Hoc „ puto ex imaginatione quadam ſcriptum, & cum „ primum hoc videbam, terrore percellebar, & „ ſimplicitas & ingenuitas cordis mei hæc non „ admittebat. Et cum crimen ipſi adulterii objiceretur, ait hic porro: „ Hujus criminis tam „ inſons ſum coram Deo, ut infantulus, Deus mi„ hi teſtis. Et quicquid ſit, hæc alios non concernunt.

p. 164. l. 1. [Richus] *Naylorem, dum ei nota ſtigmatis inuritur, tenet manu, ac mox vulnus, veluti ſacrum & religioſum, lambit ſua lingua.* Quare non potius ad leniendum ex uſtione dolores. Alii retulere, ipſum ſaltem ſanguinem lingua lambiſſe profluentem, incerta hæc; quamvis hic Richus nullus fuerit ex Qnakeris.

l. 14. *Præterea inter omnia hæc multi e Quakeris quotidie ad Naylorem mittunt epiſtolas, eumque ejuſdem frequentatione cauſæ, ut auſum tantum facinus corripiunt indeſinenter &c.* Imo cum præcipui quidam ex Quakeris vacillantem Nayloris ſtatum cognoverint, futurumque lapſum quaſi præviderint, ipſum ante hoc commiſſum facinus ſcriptis quoque ſerio admonuere, quæ epiſtolæ poſtmodum Briſtolii in ejus ſacculis penes magiſtratum inventæ conſervaverunt reliquos cunctos in hac peſſima actione innoxios & ab omni ſuſpicione liberos.

Ib.

Ib. l. 27. *Manſit Naylor toto inſequente tempore eodem modo erga Quakerorum religionem affectus &c.* Poſt palinodiam ſcilicet publice inter iſtos homines oretenus factam, id quod ab autore omiſſum.

Ib. l. ult. *Dixi ſupra G. Foxum cum ſuis ſequacibus.* Hi non Foxi ſed voluntatis & Spiritus Dei ſequaces.

p. 165. l. 16. *Prodibat Londini libellus, ſublato quidem nomine, attamen abſque ulla dubitatione auctore Foxo.* Quare Foxo ſolum? quia forſan contra doctores mundanos ſcriptus, ſeu, ut autor loquitur, publicarum eccleſiarum miniſtros? cum tamen, uti in antecedentibus p. 105. ipſe autor oſtendit, ſimilia ab omnibus dicta fure.

Ib. l. 22. *In eo libello auctor omnes doctores paſtoreſque una exæquatione criminabatur.* Abſit talis exæquatio, nam ſecundum tritum iſtud; nulla regula tam firma, quæ non patiatur exceptionem, ita & heic, ſemper enim iſti, qui boni, ſique ullibi ſint, excipiendi, & excipiuntur vel expreſſe vel tacite.

Ib. l. antep. *Oportet accuſatorem bene eſſe memorem & ſibi cavere, ne alios inſimulando ſtulte & falſo eadem ratione & ſe deridendum hominibus, & ſeipſum ejus ipſius culpæ affinem præbeat.* Oportet, ut heic accuſatorem, ita & oratorem, & hiſtoriographum eorundem eſſe memorem, ne ſtulte & falſo alios inſimulent &c. Nam ſi accurate ea, quæ ipſe autor iſtius libelli auctori in ſequentibus vitio vertere allaborat, conſiderentur, nec adeo ſtulte nec falſo dicta forſan invenirentur, quæ heic oſtendere neque tempus neque locus, neque animus.

p. 166.

p. 166. l. 13. *Et quæ plura alia, non dicta calide, at callide ſcripta.* Quid ſi autor ejuſdem libelli ſub patrocinio iſtius regulæ ſanctæ: Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris; ſcribat contra autorem noſtrum, quod ipſe de ipſo heic profert: non dicta calide at callide ſcripta; nonne ipſe hoc male & quidem non injuſte laturus?

Ib. l. 23. *Sed etiam magis magiſque pergebant &c. non tantum concionabundi circumire, atque in foris & ejusmodi locis ſuos ſermones habere &c.* Supra ad pag. 17. l. 8, 9. & alibi notatum, autorem perferre non poſſe alios alio concionari modo, quam ipſe cum ſuis aſſuetus, parum diſcernens, quæ in ejusmodi tam ab initio Euangelii, quam poſtmodum fuit Spiritus ſancti operatio. Id quod exemplis clariſſimis notiſſimiſque heic non indiget.

p. 167. l. 1. *Hinc omnes omnium hominum in ſe indignationem & acerbitatem inque vindicando ſeveritatem augebant.* Qua conſcientia heic audet autor dicere: Omnium hominum; ipſe ſe examinet, alii norunt auxeſin hanc veritatem longe excedere; ſi autem intelligere hoc omne, pro majori parte, velit, nil eſſet hoc novi, cum & olim ob rei veritatem cum Chriſto & Apoſtolis & aliis Chriſtiani ita fuerit actum.

Ib. l. 18. *Scribebant Quakeri in multis locis ipſos eccleſiorum miniſtros non modo ſuis concionatoriis orationibus &c. multitudinem &c. impellere, ut Quakeros aut propellerent &c. ſed etiam ſe inter eos, qui armati veniebant ad diſturbandos cœtus cum publicos ſatellites, tum plebem promiſcuam, ſocios præbuiſſe.* Hujus rei facti annotavit & alibi autor varia exempla. ut p. 180. l. 14. p. 322.

322. l. 27. p. 357. l. 14. inprimis p. 405. l. 1. & 410. l. 18.

Ib. l. 28. *Aſt non aliud ita ſuis monumentis* [Quakeri] *annotabant &c: quam facta in ſe ſcholaſticorum ſeu ſtudioſorum academiæ Oxonienſis.* Licet hæc graphice ab autore exhibeantur, non tamen a vano hoc ſtudioſorum genere, uti ii ibidem ſequentibus delineati, tantum Quakeri contumeliis affectis, ſed & alibi ab his non abſimilibus.

p: 170. l. 1. *Cum inter Quakeros ubique plures quam antea reperiebantur blaterones, improvidi, effræneſque etiam in templis, etiam mediis concionibus noſtrorum.* Autorem Parrheſiam horum hominum ob veritatem divinam, ad Dei gloriam & ad emendandum errores publicos, inprimis in ædibus ſuorum publicis ſuorumque in mediis concionibus ægre tuliſſe, & iſtos ejusmodi calumnioſis voculis denotaſſe haut mirum, nam cum proximus ardet Ucalegon & alteri imminet periculum, ideo vel acheronta huic movenda.

p. 172. l. 26. *Succedit vir fortis & ſtrenuus, ac belluam e loco ſuperiore deturbat.* An non potiori jure alter bellua major, ſuo aliquando, non nunc, tempore erit clarius.

p. 174. l. 18. *In qua demonſtratione illi ſane non negligebant artem accuſatoriam, tum reticendo mala ac delicta graviora, quæ multos in ea loca anguſtiora adduxerant, tum multa mala leviora, quæ illi pertulerant nimis crepando ac exaggerando & ſæpe levem attritum & punctiunculam & livorem pro graviſſimo cruciatu ac vulnere cruento capiendo & amplificando.* An ipſe autor, ut nunquam in his præſens, talia finxerit, an a neſcio, quonam malevolo acceperit, quis novit? ſed quicquid ſit, pudeat certe alios, quibus

pau-

paulùlum aliquid honeſtatis, & qui tot horribilia in ejusmodi rebus, tam plene & perfecte norunt, quemadmodum autori noſtro nota, & ab ipſo hiſce chartis & quidem ſtatim paginis hos ſequentibus 177. & alibi inſerta ſunt, talia vel cogitare, & quid dicam? ſcribere; ſed quid non poteſt exiſtimatio præſumta, affectus, ſtudiumque partium?

p. 175. l. 24. *Centum & ſexaginta quatuor viri ultro &c. adeunt Parlamentum, exhibentque ea de re libellum ſupplicem hunc dictatum à Georgio Foxo &c. hoc ſtylo rudi, &c.* Fatendum equidem Epiſtolam hanc non mundano, adulatorio, nec ſingulari eligantia oratorie ornatam, aſt in ſimplicitate cordis coram Deo & omnibus angelis & piis hominibus claram & emphaticam, cui perquam injuſte ruditatis nomen attribuitur, licet delicatulis Scholaſticorum auriculis non adeo gratam.

p. 177. l. 3. *Abnuit quidem Parlamentum, verum cum hi homines tantopere miſericordia &c. tangerenter, & tam leni ſenſu tantorum malorum & cruciatuum afficerentur, illud ea re magis effectum eſt, ut alii homines, videntes tantam inter eos animorum conjunctionem, tantamque in perferendis quibuslibet ærumnis animoſitatem & conſtantiam, benignius de iis judicarent, atque indies quam plures in ipſorum familiam ac ſocietatem tranſirent.* Ita & inter primævos Chriſtianos ſimilia factorum exempla notavimus in not. ad pag.

p. 179. l. antep. *Querebanturque illi* [Quakeri] *cumprimis de præfecto Lamberto.* An ita ſe res habeat, nondum ſatis evidens.

p. 180. l. 1. *Quem virum tamen nos aliquot annis*

nis poſt, quum in comitatu viri illuſtris inviſeremus ad hunc virum, detentum in quadam arce &c. non adeo alienum a ſecta Quakerorum & iſtiusmodi hominum deprehendimus. Quis iſte Nos heic ſit, valde obſcurum, ipſe non poteſt eſſe autor, an quidam ex Quakeris? nec dicitur a quo ipſe autor hæc acceperit, ita ſine dubio ex præcipitantia quadam incidit heic hoc incongruens: Nos.

p. 184. l. 28. *Cum plures e commilitonibus Ameſii item milites alii paulatim ad eandem ſectam Quakerorum tranſirent, eorum plurimi &c. vel aliquid ineptum ac frivolum oſtentabant.* Scilicet ſecundum autoris, ut partis adverſæ, judicium, quod tamen, vanum & nullum, nec abſque exiſtimatione præſumta, affectibus, ſtudioque partium.

LIB. II.

pag. 189. l. 19. *Et cum antea multa cupidius quam felicius inceptaſſet* [Foxus.] Qui nil quicquam ſui ſed ſolius Dei cauſa omnia incepit, ampliſſimamque per Deum benedictionem in ſuis inceptis obtinuit, & ita feliciſſime ſua a Deo ipſi commiſſa, & hodierna experientia teſte, peregit.

Ib. l. 29. *Ad hæc pergebat Foxus ſcribere multa, etiam contra adverſarios, ſed ita, ut non tam quid & quo loco ſcriberet probe attenderet.* Ut ſemetipſum ubivis in hac ſua hiſtoria delectat autor Foxum quovis modo traducere, ita & heic, quaſi ſimulate & cum reſpectu perſonarum in his egiſſet ſcriptis, aſt ne unicum quidem producit, quo, quæ dicit, probet, hæc enim ipſi alias

alias ſunt obſcura, rudia, indocta, incompta &c. ut & Foxus ipſe illiteratus &c. ſunt tamen nonnulli docti, prudentes, experti in omni ſcientiarum genere tam in toga quam in ſago, qui meliori ipſius judicio hæc ſcripta aſpexere; habebit ergo utraque pars aliquando alium in judicando hæc ſcripta judicem ſuum & quidem æquiſſimum; interea ferenda, quæ non mutanda.

pag. 190. l. 1. *Quo in genere vitæ Foxus ita deinceps egit ad extremum ſuæ vitæ, ut ejus actiones omnes, medii atque ultimi temporis, principio fere perſimiles exſtiterint. Et ut mihi ſupervacaneum putem, porro pluribus verbis de Foxo loqui in hac opere, niſi &c.* Id ipſum quod de Foxo in his verbis quaſi ad ejus ignominiam conatus eſt autor adponere, in maximam ejus gloriam vergit; nam: *Semper idem*; etiam ſolummodo in civilibus non eſt niſi glorioſum, & eo magis in divinis, uti de Foxo neceſſario etiam ſecundum autoris ipſius teſtimonium inferendum eſt, ita enim deſcribit pag. 18. l. 24. ejus principium ſeu puerilem ſtatum: „ Puer, etiam ab infantia, ſin„ gulari erat ingenio, non inter fratres & æqua„ les ludens, neque appetens ea, quæ iſti ætati „ jucunda & accepta ſunt, verum illorum con„ ſortia fugiens, ac ipſorum puerilitatem ſicut „ ludibrio habens, & ſemper ſolus agens, taci„ turnus, & ſi loqueretur, triſtis locutione & „ vultu, plus rogans, & ſuo modo attentus & „ conſideratus, multaque obſervans, atque in„ ter hæc moribus modeſtis, deditus tyrociniis „ & exercitiis pietatis, ut omni tempore „ futuri tempore procedente animi ac ſpiritus no„ tas cerneres. Si ergo, ut autor hic abſolute

vult, *Foxi actiones medii atque ultimi temporis principio* huic, [nempe infantiæ & puerili ætati] omni laude digniſſimo, *perſimiles exſtiterint*, qua itaque ratione, imo qua conſcientia potuerit autor moveri, adeo, quemadmodum hactenus in quamplurimis exhibitum, in Foxum invehere, illum ut ridiculum, ſimplicem & neſcio qualem, in hanc ſuam ſcenam introducere? Quæ autem cum ſibi invicem ſint contraria, ſequeretur, ea, quæ contra Foxum ab autore conſcripta ſunt, aut eſſe vel ex exiſtimatione præſumta, vel præcipitantia, vel affectibus, vel ſtudio partium, id quod autoris initiale promiſſum non abſque ipſius ingenti dedecore infringeret; aut ſemetipſum ſuiipſiusmet in his oblitum eſſe, cum tamen ut Oratorem, ita & Hiſtoriographum oporteat eſſe memorem. Interim cum ipſe autor *ſupervacaneum putet, porro de Foxo in hoc opere loqui*, ideo & hac parte percommode in his ultima apponenda manus, & cum aliquali victoria de Foxo dicendum: *Omnia tunc bona ſunt, clauſula quando bona eſt*; uti heic eſt.

Ib. l. 7. *Atque ad hunc modum Quakeri prope omnes inter ſuos adverſarios jam cautius* &c. *ſe gerere &c. neque in hominum concurſu illas ineptias agere & fundere ridicularia &c.* Si autori libuiſſet primævorum Chriſtianorum agendi vivendique inter ethnicos modum, ipſi procul dubio ſatis cognitum, conſiderare, cumque modo horum Chriſtianorum, Quakeri vulgo dicti, inter Chriſtianos ita dictos, quorum multi prope ethnicis pejores, comparare, iſtorum certe peracta non ita pro ineptiis, ridicularibus & ſimilibus æſtimare potuiſſe, ſed cautius & circumſpectius ſe in his geſſiſſe. Cæterum uſque ad ultimum univerſale

ve-

verumque Dei judicium hominum quorumcunque judicia in hiſce rebus permittenda & patienter perferenda.

p. 191. l. 5. *Inter præcipuos doctores omnium ornamenti inſtar erat* SAMUEL FISHERUS. De quo autor pag. 84. l. 3. ſic ſcribit: „ Vir ſingulari doctrina, quam cumulabat mira eloquentia, hauſta ex antiquitate Græca ac Latina, quæ etiam poſt hanc vitæ ejus commutationem ita ei propria manſit, ut in iis quoque ſpiret ſcriptis, quæ deinceps edidit. Aſt autori forſan ignotum, quod Fisherus inſignem in hiſce ſtudiis abuſum, ea nimium in divinis extollendo, tam in proſa quam carmine ſcite & facete eludendo oſtenderit; videatur ejus ſcriptum: Ruſticus ad Academicos, & Carmen &c. Ipſe enim ſua experientia infallibili, quid ſtudia iſta, & quid non valeant, exquiſite compertus.

pag. 199. l. 1. *Quum autem illi omne juramentum detrectarent, tanquam illicitum &c. & interim ſemper parati eſſent, verbis apertis minimeque dubiis, vere, coram & in præſentia Dei affirmare &c. & paratos ſe eſſe, ſi in his fidem fallant, ſubire illas pœnas, quas ſubeunt ii, qui ubi conceptis verbis juraverunt, juramentum rumpunt, nihilominus illis ſemper juramentum hoc objectum, tanquam laqueus inexplicabilis.* Ab hoc nunc laqueo per Dei gratiam actis Parlamenti publicis liberati; Sic tandem bona cauſa triumphat.

Ib. l. 28. *Huc illud accedebat, cum illi, quibus e decumanis agris atque fructibus ſua pro opera ſtipendia decreta erant, inprimiſque emptores decimarum, ſuis illis reditibus magis impenſe incumberent, atque Quakeri ſe debere pendere nega-*

rent, paſſim ſevere & infenſe in eos actum. Si Lector forſan inquiſiturus, quinam ſint iſti *Quibus*? Sciat eſſe eccleſiarum iſtarum ita dictos miniſtros ſeu concionatores potiſſimum Epiſcopales, qui non ſolum e decumanis agris, ſed omni genere proventuum decimam ſæpe ſatis importune & violenter vid. not. ad pag. 201. 204. &c. exigunt, uti ſunt pomorum, pyrorum, raparum, olerum, ovorum, gallinarum, anſerum, & neſcio quarum rerum. Ratio autem Quakerorum, quare ſe debere pendere negant eſt inter alias, quia hæc decimatio originem quidem & fundamentum videtur habere ex V. F. aſt longiſſime differt ab eo, quemadmodum templum Hieroſolymorum a templis ethnicorum & pene Chriſtianorum hodiernorum; nam iſta erat ex manifeſtiſſimo Dei mandato ob cauſas quamplurimas, ad ſuſtentandum Levitas, qui ſorte in terra Canaan carebant, inſtituta; aſt in N. F. uti reliquæ iſtiusmodi leges, penitus abrogata, & hæc longo tempore poſtea ab hominibus ſolummodo & quidem in tenebricoſo Papatu iterum inventa, & ex ignorantia & calliditate magnæ autoritatis a Clericis ita dictis decreta & miſeris Laicis & populo occæcato impoſita. Porro Levitæ erant occupati circa externa & corporalia, ita ut ipſis neque occaſio neque tempus erant conceſſa ſibimet ſuſtentandi ſe opportunitatem proſpicere; Cum in N. F. hoc tantum ſit ſpirituale officium, ſi quis verus ſit Euangelii præco, cui non obſtat ſibi neceſſaria ad vitam comparare & ſuis manibus laborare, uti videmus a Paulo, Aquila & Priſcilla &c. factum; & ſi quædam neceſſitas urgeat, alia adſunt media & libera aliorum dona &c. Ac opera iſtorum præconum Quakeri, utpote quæ

ipſis

ipſis non ſolum inutilis, ſed & valde damnoſa eſt, non indigent, ideo nolunt *expendere pecuniam pro nullo cibo & laborem ſuum pro re minime ſatiatura; auſcultare* autem volunt *indeſinenter Deo, & comedere bonum, atque oblectet ſe hac pinguedine anima iſtorum.* Uti monet Eſaias c. 55: 2. Plures Quakerorum rationes de non ſolvendo decimas habentur in libellis ab ipſis editis.

p. 200. l. 11. *Serbornæ in* Dorceſtria *triginta Quakeri e domo, in qua innoxii Deum venerabantur, &c. extrahebantur ab oppidanis, anteſignanis oppidi decurione & ludimagiſtro, ſequentibus multis cum gladiis & fuſtibus inter multas execrationes & percuſſiones & perducebantur ad magiſtratum &c.* Perbene hiſce quadrant verba Servatoris noſtri Joan. 15: 20. *Mementote ſermonis illius, quem ego dixi vobis; Non eſt ſervus major domino ſuo: Si me perſequuti ſunt & vos perſequentur.*

p. 201. l. 22. *Eduardo Noali ruſtico, ſed ſane viro, in* Cantio *orientali* Wardii *ob decimas pondo viginti, pro quibus pecuniam non ſolverat, abrepta e bonis ruſticis ad pondo centum; quumque is ſua ruſticana rhetorica & veritate, & decumani & judicis ſui aures atque animum feriebat graviter, vulnerabatque, ille mandatus carceri, in eoque annum ſeſquialterum ſervatur.* Decumani ſunt, uti notum, qui decimas exigunt & colligunt, ſive ſint præcones ipſi, ſive ab iis delegati, perinde eſt, nam quod quis per alium facit, per ſe ipſum feciſſe putatur. Quam inchriſtiane autem, ut ita dicam, inhumaneque hoc factum ſit, expoſitione coram Lectore æquitati & juſtitiæ Chriſtianæ dedito haut indiget,

& quod horribile, plura ab autore noſtro ejusmodi exempla in hac ſua hiſtoria extant, ut pag. 264. ut & pag. 367. *Worthami* in comitatu Suffolchia *Job. Buthopius* ruſticus eccleſiæ miniſtro debebat a decimis annorum duorum ſterlingiorum pondo octo; quæ quum non erogaret, miniſter tandem a judicibus impetrat ut e ruſtici equis, bobus, vaccis, ovibus reciperet ſequeſtro pondo ſeptuaginta ſex.

p. 202. l. 17. *Cuſtos carcerarius &c. eos* [Quakeros] *in carcerem detrudit fœtum ac fœtidum, in quo nihil erat ſedendo vel jacendo, præter lutum, abſque ſtramine. &c.* Sic quondam de Chriſtianis Tertullianus de reſurrect. carnis: „ Age jam, quid de carne ſentis &c. quum in „ carceribus maceretur, teterrimo lucis exilio, „ penuria mundi, ſqualore, pædore, contumelia victus: ne ſomno quidem libera &c. m. c. 8. p. „ 330. C.

Ib. l. 21. *Sic orant, ut ſibi aliquod daretur ſtramen. Et hic* [ſc. cuſtos] *&c. pollicetur, ſi illi aperiant quatuor pondo ſterlingiana ſeu florenos 44. Holl. Quod cum illi averſarentur ac ſpernerent &c.* Hac in re ſimilia habet Tertullianus dicens: *Perſecutio ſicut non fugienda, ita nummis non redimenda.* De fuga in perſ. c. m. 12. p. 537. B.

p. 204. l. antep. *Præterea varios in variis regionibus miniſtros eccleſiarum, quum eſſent e Quakeris, qui decimas non perſolverant, & perſolvere eas negabant, ex horum ædibus atque agris pro decimis his multo plus ſumpſiſſe, quam iſti deberent, neque id, quod ſupererat, deinde reddidiſſe, nonnullos vero ita emunxiſſe re nummaria, ut & illis quicqvam ultro ſolvendi ac ſibi exigendi curam*

omnem

omnem adimiſſent. Quoniam hæc ex ſcripto quodam Quakerorum Regi ac Parlemento exhibito ſint extracta, ubi ſi falſa quæpiam ſubeſſent inquirendo facillime manifeſta fieri, atque ideo Quakeri non immerito pœna ſevera affici potuiſſent, ergo nullum eſt dubium, quin certiſſime res ſeſe ita habeant: Numne autem ejusmodi præcones ſint veri præcones Euangelii, verborumque Chriſti, qui vult: ut ita faciant homines hominibus, quemadmodum velint, ut ſibimet ipſis ab aliis fiat; & iſtis decimis digni? vel infans negative concludere potis.

p. 205. l. 7. *Hoc ſcriptum plenum fiduciæ, cum regi, cum toti conſeſſui, habitum partim neglectui, partim deſpectui.* De iiſdem conqueritur Clemens Alexandrinus ſtrom. lib. 4. tempore ſuo his verbis: „ Quamvis non faciamus injuriam, tanquam tamen injuriam facientes nos „ intuetur judex. Neque enim noſtra novit, „ neque vult ſcire, quodam autem inani præoc„ cupatus abripitur præjudicio, ſecundum quod „ etiam judicatur. Nos ergo perſequuntur, „ non ut qui nos eſſe injuſtos deprehenderint, „ ſed quod nos vitæ humanæ injuriam facere exi„ ſtiment, eo quod ſumus Chriſtiani [Quakeri] „ & ipſos, inquam, qui ſic vitam inſtituimas, & „ alios, quos adhortamur, ut vitam degant ſi„ milem p. m. 505. B. C.

p. 206. l. 3. *Ac tendere Quakeriana omnia ad diſcordias ac turbas.* Haut abſimili modo etiam cum Chriſtianis tempore Tertulliani ab ethnicis actum fuiſſe, perhibet ipſe in ſuo Apologetico ita: „ Omnis publicæ cladis, omnis popularis in„ commodi Chriſtianos volunt eſſe cauſam. m. „ c. 40. p. 32. C. Et ſic iſte ad Nat. libr. 1.

„ Sa-

„ Sane qui non miror; enumerem neceſſe eſt,
„ & vos recognoſcendo miremini in quantam
„ ſtultitiam incidatis, qui omnis cladis publicæ
„ vel injuriæ nos cauſas eſſe vultis &c. m. c. 9.
p. 46. B.

p. 207. l. 22. *Non ille inceptor & magiſter.* Nimirum Georgius Fox ſenior; ſed licet hunc fuiſſe primum in hac reformatione Dei inſtrumentum, non tamen ideo dici poteſt inceptor & magiſter; Vix enim admitterent Reformatæ religioni addicti Calvinum, qui primum & primarium in eorum religione inſtrumentum, vocare *Inceptorem*. Magiſtrum autem alium nullum agnoſcunt Quakeri, quam unicum iſtum, qui ſolummodo voluit nominari Magiſter, Jeſum Chriſtum Matth. 23. 8. vid. not. ad pag. 30. l. 3.

p. 210. l. 6. *Atque Foxus, qui excepta ſua lingua Anglica harum triginta linguarum callebat nullam, adeo ſe hujus operis auctorem cupiebat videri, & quicquid in eo poſitum erat induſtriæ ac laudis, id e ſe ortum eſſe, ut etiam unicuique pagellæ identidem ſuum nomen ſubſcriberet, atque id linguam unamquamque continere ac docere, ſuo teſtimonio comprobaret.* Falſe heic quædam, præprimis quo auctorem operis ſe eſſe, cupiviſſe Foxum, inſerta ſunt, ipſe enim præſens in conficiendo iſto libro & demonſtratione aliorum, non potuerit non quæ ſimplicia & quaſi puerilia cognoſcere, quamvis perfectam non habuerit iſtarum linguarum cognitionem, ita ut ejus ſubſcriptio non unicuique pagellæ, uti male notavit autor, ſed ſaltem earum ſex, ſolummodo quaſi ſuam præſentiam & approbationem exhibuerit.

Ib. l. 18. *Quum autem Foxo ab aliquibus objiceretur*

ceretur illarum linguarum ignoratio, & res hæc ut pars dementiæ exprobraretur, is novo joco ſic diluebat, ſe tantum noſſe linguarum, quantum ſibi ſatis eſſet. Quemadmodum nonnulli fuere, & fortaſſis jam jam ſunt, in Germania ſuperiori, qui proprio Marte abſque alterius adminiculis Anglice ſcripta ſuo more legere, inte ligere & ſcribere didicere, aſt nec iſtos Anglice loquentes Angli, nec iſti hos loquentes intellexerint: ſic & alii, qui Germanice, Polonice & Latine expedite loquebantur & eas linguas loquentes intelligebant, aſt nec periodum quidem Latine integram alicujus etiam communi ſtylo ſcriptoris legendo: Et alii, qui quæ in Theologicarum, alii ſemiliterati, ut ita dicam, Pharmcopæi, qui quæ in medicarum rerum ſcriptis Latine continebantur perbene cognoſcebant, aſt vel in Juſtino, Suetonio cæteriſque ab ejusmodi ſcientiis diſtinctis pene nihil; his tamen talis imperfectio harum linguarum [ut abſoluta ignoratio.] non poterit obiici, nec, niſi ab amente, *hæc res ut pars dementiæ exprobrari.* Ita etiam hoc in loco comparatum eſt cum Foxo; nam quamvis *liber iſte,* [Anglice vocatus a battle-door] uti autor pag. 209. l. 23. habet, *ſcriptus Anglice, inſignitus ſingulis paginis forma ac nota tabellæ puerilis, quali in Anglia & noſtra patria utuntur infantes, e qua diſcunt literas ordine abecedario pronuntiare &c. recenſebantur & diſtinctæ exhibebantur in libro linguæ triginta, quæque ſuis diſtinctæ tabellis* &c. Nulla tamen fuit difficultas tam pro Foxo quam pro ſuis duobus eocum in his laborantibus, qui inſignem quidem nonnullarum & præcipuarum, non tamen æqualem omnium iſtarum triginta, imo quarundam forſan nullam cognitionem

 habebant,

habebant, quin Foxus, ubi opus, ab his informatus, illi ipſi autem ſibimetipſis in cæteris, quæ ipſis adhuc ignaræ, cognitionem acquirere potuerint, & certe hac in re, non dico in omnibus rebus, ſufficientem; quippe qui in cunctis hiſce proprias ſaltem cujuscunque linguæ literas apponere, perque certas regulas differentiam neceſſariam & naturalem loquendo ſcribendoque ſingularis & pluralis numeri exhibere, & poſtmodum hæc in quibuſdam tantummodo, & non in omnibus, dictis ex Scriptura Sacra confirmare conati, inter quæ duo iſta præcedentia ex cujuslibet linguæ Grammatica, hoc ultimum vero ex tranſlatis in quamlibet linguam Bibliis ſæpe cum Latina annexa verſione, etiamſi non abſque inſigni ſtudio & labore, excerpere & annotare non impoſſibile fuit. Si itaque Foxo imperfectio hæc, ut ignoratio omnium, præter Anglicam, linguarum objiciatur, certo reſpectu etiam objiciatur ea quarundam linguarum, neceſſe eſt, duobus iſtis eocum agentibus; cum autem non, niſi ab amente his duobus *hæc res, ut pars dementiæ, exprobrari* poſſit, quare non & eodem modo etiam Foxô? ideo hic hæc ſuis objicientibus rectiſſime & veriſſime reſpondit: *ſe tantum noſſe, quantum ipſi ſatis eſſet*; & hoc ſerio, abſque joco vel novo vel veteri, cujus nullum, quod ſciam, in hac hiſtoria indicium, unde & a quo poſtmodum novus hic jocus originem ſuum traxerit. Sed antequam ſibi moleſtiſſimum, quamvis innocenter, e manibus penitus dimittat Foxum autor, ipſe eum hiſce adhuc producere placuit, aſt qua ſua gloria videat ipſe, pertinetque ad not. p. 17. l. 8, 9.

p. 216. l. 28. *Cæterum hi homines hoc anno inprimis*

primis duorum virorum, &c. mortes, oppetitas Londini, quemadmodum pro religione, ita ſumme glorioſas & beatas & duces ad cœlum Deumque prædicabant. Glorioſas quidem & beatas fuiſſe, quis dubitet? pie enim & probe ſe, ut ſervi Chriſti fideles, fideliter geſſere, aſt duces, niſi quatenus inſtrumenta multorum fuere ad cœlum Deumque, iſtos ullum prædicaſſe, vix credibile factum.

p. 218. l. 7. *Burrougius, quem Londinenſium Apoſtolum ſolent habere hi homines.* Unde hoc acceperit auctor, incertum; interim non adeo abſurdum.

p. 219. l. 20. *Hujus viri præmaturam mortem Fiſherus ſublimiter & ſuo more rhetorice & tragice deſcripſit.* Qui norunt & agnoſcunt voluntatem divinam, ipſis mors piorum, hujus reſpectu, non præmatnra; cæterum hæc Fiſheri deſcriptio penitus ignota, & forſan, ſi exhibeatur (quod tamen autori poſſibile haut credo) inveniretur, nec rhetoricam nec tragicam eam eſſe; ſed hæc figmenta ejus, qui hæc perſuaſit.

p. 232. l. 22. *Eo die Quakeri in unas ædes multi conveniunt. Id cum intelligitur a Præfecto, is &c. & mox ſine mora negotium dat ſuis comitibus, ut quoſdam apprehendant & deducant in cuſtodias, ac ſimul aliis Quakeris mandat, ut ſuos illos ſocios in eadem loca ſubſequantur, quod illi, non ejus juſſu ac nomine, at ſua voluntate atque impulſu, prompte ac propere agunt.* Quare autor velit, Quakeros non Præfecti juſſu & nomine, ſed ſua voluntate atque impulſu hæc egiſſe, & ita ſuam obedientiam erga magiſtratum legitimum, quamvis illegitime & inique agentem, in hujusmodi externis & tali ingenti perſecutione oſtendiſſe,

ne-

neque ſe ullo modo oppoſuiſſe, ſed prompte & propere paruiſſe, nullas in his video alicujus momenti rationes, contrarium enim ex ipſis hiſce ſuis verbis evidens eſt.

p. 233. l. 22. *Præfectus unum de tribulibus, collocat propter domum, in quam Quakeri ſe congregabant, qui eos ab ſua illa congreſſione verbis miniſque prohibeat &c. Cui viro cum illi nollent reſiſtere, omnes ante domum in platea ſub dio perſiſtunt & quiete ſuo more ſuam religionem colunt. Facit idem janitor ac cuſtos hoc diebus ſequentibus, faciuntque idem quod antea hi ipſi homines, nil ſolliciti, quibus non modo aëris incommoditatibus, ſed & ſuorum inimicorum contumeliis atque injuriis eſſent expoſiti &c. & ignari quantum ſibi hoc tempore ipſo ob ſuam hanc pertinaciam ac perſeverantiam, mali pararetur.* Eodem fere modo & primævos Chriſtianos fuiſſe perſequutos, ipſiſque in his pertinaciam & obſtinationem objectam ex plurimis veterum hac de re ſcriptis maniſeſtiſſimum; Sic legimus apud Tertullianum in Apologet. „ Præter obſtinationem non ſacrificandi „ &c. in. c. 2. pag. 3. B. Ubi in notis le Prieur „ addit: Perpetua fuit in Chriſtianos gentilium „ calumnia, quod ut pertinaces illos ubique tra- „ ducerent, & ſuis ritibus ac ceremoniis nimium „ deditos, quod laudi verti debebat. Et ipſe Tertullianus ad Nat. „ Reliquum obſtinationis „ in illo capitulo collocatis, quod neque gla- „ dios, neque cruces, neque beſtias veſtras, non „ ignem, non tormenta ob duritatem ac con- „ temptum mortis animo recuſamus, in. c. 18. p. „ 52. B. Idem in Apol. Cum odio ſui cepit „ veritas ſimul atque apparuit inimica eſſe &c. „ quotidie obſidemur, quotidie prodimur, in

„ ipſis

„ ipſis plurimum cœtibus & congregationibus,
„ noſtris opprimimur &c. m. c. 7. pag. 7. D. &
„ pag. 8. A. Idem Scorp. „ Alios ignis, alios
„ gladius, alios beſtiæ Chriſtianos probaverunt, alii
„ fuſtibus interim & ungulis inſuper deguſtata
„ martyria in carcere eſuriunt. Nos ipſi, ut le-
„ pores, deſtinata venatio, de longinquo ob-
„ ſidemur, & hæretici ex more graſſantur. m. c. 1.
p. 488. B.

p. 242. l. 9. *Id in unoquoque judicio omnibus datum crimini, quod legibus regis non obediverant &c.* De his Tertullianus ad Nat. ita ſuo tempore:
„ Quotiens propoſitionibus reſponſionibuſque
„ noſtris, quas veritas de ſuo ſuggerit, compri-
„ mitur ac coarctatur conſcientia veſtra, tacitæ
„ ignorantiæ ſuæ teſtis, confugitis æſtuantes ad
„ arulam quandam, id eſt, legum autoritatem.
„ m. c. 6. p. 43. D.

p. 247. l. 16. *Et hic itum quidem in judicium, ſed ita, ut cum hic quoque homines adducti ſe congregatos fuiſſe non negarent, ejus facti confeſſio loco criminis confeſſionis haberetur, ac homines illi uſitata jam pœna continuo damnarentur &c.* Haut abſimili modo Tertullianus de congregationibus Chriſtianorum tum quoque, uti nunc, prohibitis ita ſcribit: „ Hæc coitio Chriſtianorum merito
„ ſane illicita, ſi illicitis par; merito damnanda,
„ ſi non diſſimilis damnandis, ſi quis de ea que-
„ ritur eo titulo, quo de factionibus querela eſt.
„ In cujus perniciem aliquando pervenimus? hoc
„ ſumus congregati, quod & diſperſi, hoc uni-
„ verſi, quod & ſinguli, neminem lædentes,
„ neminem contriſtantes. Cum probi, cum
„ boni coeunt, cum pii cum caſti congregantur,
„ non eſt factio dicenda, ſed curia &c. m. c. 39.

&

& 40. p. 32. C. in Apologet. Et de Confeſſione ante XIV. ſecula tam vere quemadmodum & in noſtro dixit idem Scorpi. „ Confeſſio a „ perſecutione deducitur, & perſecutio in con- „ feſſione finitur.

P. 249. l. 13. *Referunt de primo in his comitiis delatore ac teſte in hoſce ſuos homines, illum ex tempore illo, quo ſe ita ſubjecerat ac præbuerat vix mente tranquilla & ſano corpore fuiſſe & comediſſe parum, & brevi extabuiſſe.* Pœnam ejusmodi hominibus eandem ob cauſam a Deo juſte inflictam fuiſſe, nil novi, quorum & meminit pluribus Tertullianus ad Scapulam & inter alia hiſce: „ Poſſimus exitus quorundam præſulum tibi pro- „ ponere, qui in fine vitæ ſuæ recordati ſunt deli- „ quiſſe, quod vexaſſent Chriſtianos. Exempla „ vid. ibid. m. c 3. p. 70. B.

P. 254. l. 7. *More imperitæ multitudinis, ex re omni inſolita omen ſiniſtrum ac malum augurium capientis.* Similia divinæ juſtitiæ indicia obſervare optandum, ut non ſolum mos ſit imperittæ multitudinis, ſed etiam peritiſſimorum, qui ſæpe tamen falſam ſibi in his perſuadentes peritiam, ſeque alioſque fallunt, vel ſimpliciter nihil vel nimium admittendo.

P. 255. l. 27. *Alii in his regionibus collocant ſedes.* Ex iis, de quibus autor heic agit, præter unum haut alius eſt, nec is quidem Anglus, ſed natione Germanus; neque tamen ea, quæ autor ibi in ſequentibus vult, exiſtimavit.

P. 256. l. penult. *Querebantur Quakeri hoc eodem tempore quam maxime de Clericorum ſeu eccleſiaſticorum erga ſe odio abſoluto & perfecta crudelitate, quos alioquin etiam in hoſtes leniſſimos eſſe oportere, & ſui magiſtri, ipſius lenitudinis, in eo veſtigia ſequi debere dicebant.* Querela hæc fuit ju-

juſtiſſima, res ipſa enim, ergo verbis non opus, loquitur & olim & tunc & nunc ſatis clara; nulli ſiquidem etiamnum bonos & pios, atque inter hos Quakeros magis perſequuntur, quam nigri hi ordinis homines, & ita ac ſi aliter agere nequeant; quemadmodum autem falſiſſime iſti ſibi ſolis nomen clericorum, qua de re in antecedentibus p. 14. n. 2. attribuere & retinere conati & conantur, idque, uti hiſce exemplum habemus, etiam inter Proteſtantes, ita quoque in papatu inventi & ſtabiliti hujus nominis Clericorum naturam retinent & exercent, iniquiſſime ſc. probos pioſque perſequentes: videatur not. ad pag. 17. l. 7. not. 2. & ad pag. ... de vocabulo Clericus.

p. 257. l. 23. *Quoniam Quakeri ita omni tempore ſuos animos inducebant, ut nemini homini reſiſterent, nedum vim vi pellerent.* &c. Ita Tertullianus ſuo tempore: „ Si læſi, vicem referre „ prohibemur, ne de facto pares ſimus; quem „ poſſumus lædere? Nam de iſto ipſi recogno- „ ſcite. Quoties enim in Chriſtianos deſævitis, „ partim animis propriis, partim legibus obſe- „ quentes? Quoties etiam præteritis vobis ſuo ju- „ re nos inimicum vulgus invadit lapidibus & in- „ cendiis? &c. Quid tamen unquam denota- „ ſtis de tam conſpiratis, de tam animatis ad „ mortem uſque pro injuria repenſatum? quan- „ do vel una nox pauculis faculis largiter ultionis „ poſſet operari, ſi malum malo diſpungi penes „ nos liceret &c. in Apol. m. c. 37. p. 30. A. Et quæ ibi porro autor de Quakeris refert, per bene conveniunt cum deſcriptione Chriſtiani hominis a Theophilo Antioch. ad Autolycum ita: „ Apud „ Chriſtianos modeſtia & temperantia florent, continen-

„ tinentia viget, matrimonium ſervatur, caſtitas „ colitur, injuſtitia expellitur, peccatum eradi- „ catur, juſtitia exercetur, lex regnat divina, „ religio tractatur vera, eos veritas gubernat, „ gratia ſervat, pax protegit, divinum verbum „ ducit, Sapientia docet, Chriſtus, qui vera eſt „ vita, regit, Deuſque ſolus imperio temperat. „ lib. 3 p. m. 127. A.

p. 259 l. 10. *Qui* [Quakeri] *ſua obſtinatione miniſtris eccleſiarum nimium moræ & moleſtiæ, & quod maxime inter omnes mortales ſenſificum, damni numarii adferebant.* Sanctus ergo denarius, non autem Dei cauſa, compulit hos miniſtros ad perſequendum Quakeros, id quod certe in ſemetipſo eſt iniquiſſimum; nimiumque ibidem liberaliter dicitur, damni numarii rem eſſe aliquid maxime inter omnes mortales ſenſificum, cum mortales Apoſtoli, mortales pii olim & hodie, non tamen ita ſenſerint, abnegando omnia mundana, quæ inter non ultimum numi. De Apoſtolis hoc clarum, de primævis autem Chriſtianis inter alios & Athenagoras in legat. pro Chriſt. ita ait: „ Non movet nos damnum, quod „ facultatibus noſtris [inter quas & numi] adver- „ ſarii moliuntur, &c. non ſi quid aliud hujus- „ modi aut etiam majus eſt, cui nocere homines „ queant, metuendum id nobis videtur. p. m. 2. D. Hodierno vero tempore ſuperflua inter quamplurimos variarum confeſſionum, modo pios, extant hujus rei exempla.

p. 260. *Poſtremo ſi decumas, quas e vario proventuum genere, pecuarias, volatiles, agreſtes, arboreas, melleas, debebant clericis, non exhiberent. Quam rem Quakeri illos ut præcipuam ſuam calamitatem accipere ajebant, & capere [uti*

ſcom-

ſcommate hoc utebantur] *veluti clerum, ſive ſui favi fœtuſque putredinem & interitum.* Anglicum iſtud **a clarke** variis modis & officiis adhibetur, primario tamen viris eccleſiaſticis, qui alias præcones, concionatores, ſacerdotes, presbyteri & magis proprie in Anglica lingua **Clergy men** vocantur; originem autem ſuam hoc debet Latino: Clerus; & hoc Græco κλῆρος, id quod Latine ſortem ſignificat, de qua in not. ad pag. 17. l. 8. no. 2. & alibi. Quia autem in erſciſcunda famila ſeu erĉto patrimonio ſorte uſi ſunt homines, accipiebatur vocabulum hoc metonymice pro hæreditate, unde Cleronomus, hæres, & Cleronomia, hæreditas. Aſt eſt & alia tam Græco κλῆρος, quam Latino Clerus, ſignificatio, vermiculum denotans in alveorum pavimentis naſcentem, quo excreſcente favi carie pereunt. Qualem tamen denotationem Anglicum **a Clarke** non admittit; hinc ſi unquam, incertum enim adhuc hoc eſt, talis alluſio homonymicæ ſignificationis hac vocula facta, Latine factam oportet, & tunc ob crebas infenſiſſimas ejusmodi clericorum in Quakeros actiones ad plurimorum ex his abſolutam deſtructionem, tam abſona videri haut debet, & nec ab ipſis pro ſcommate, ſed ut & ſcite hiſce rei veritatem oſtenderent, adhibita.

p. 263. lin. antep. *Proferam tertium, neſcio quamobrem ab illis auctoribus prætermiſſum, certe, non ab iis annotatum, & tamen ſi ullum, notatu dignum.* Auctores auctor hic non nominat, nec unde ipſe id acceperit.

p. 264. l. 26. *Is decimas ſolvere negat, non quod ei tanta rei numariæ eſſet parcimonia, verum quod propter conſcientiam nollet.* Non poterat, verius,

reclamante ſcilicet in conſcientia veritatis teſte.

Ib. l. 29. Wiſtlerus *dudum viri bonis inbians &c. virum facit, ut in carcerem detrudatur, atque illic ſuæ audaciæ pœnam luat.* Poteritne aliquis illæſa conſcientia id, quod propter conſcientiam quis facere cogitur, audaciam vocare? uti iſte vir & hic autor hoc fecit.

p. 267. l. 29. *Narrant Quakeri anno 1665. in funeſta urbis Londinenſis &c. peſte quoſdam Epiſcopos regem hortatos fuiſſe, & jam liberius monuiſſe, demereret ſibi ſuoque populo divinam gratiam atque opem, per id, ut ſeque populumque peſte illa Quakerorum & aliorum fanaticorum liberaret, eoſque ut catharmata ac piacula e ſuis terris ejiceret.* Hoc revera factum eſſe nullum videtur eſſe dubium, aſt certe inſigne; an crudelius aliquid & inhumanius hac horum Epiſcoporum hortatione, præprimis triſtiſſima tunc temporis facie excogitari potuerit? Qualis autem hi ſpiritus fuere, luce meridiana clarius eſt, omnino non dulciſſimi Jeſu, ut qui ſuos diſcipulos non multum abſimili modo eum hortantes, objurgavit, dicens: *Neſcitis qualis ſpiritus vos ſitis, Filius hominis enim non venit ut perdat animas hominum, ſed ut ſervaret?* Luc. 9: 55, 56.

p. 268. l. 18. *Ejus* [Samuelis Fiſheri] *mortem Quakeri valde deflebant.* Quakeri ſe invicem ſuoſque quidem ex imis amant, aſt ſolummodo in Deo & per Spiritum ejus talem in iis inter ſe divinam amoris harmoniam excitantis; ideoque omnia Deo committunt, & quando ipſi placet unum vel alterum ipſorum plurimum amandorum ex hoc viſibili in inviſibile iſtud evocare, norunt quam certiſſime per veram in Chriſtum fidem; *juſtorum ani-*

animas eſſe in manu Dei, *ut minime attingat eos cruciatus*. Sap. 3: 1. ideo more iſtorum, qui fidem non habent, deflendi quoque iſti morem non habent.

p. 271. l. 24: *Adhærent plerumque magnis ac miris mutationibus hominum prædictiones obnuntiationeſque*. Alio paululum modo videtur autorem olim de his judicaſſe p. 254. l. 7.

Ib. l. antepenult. *Adeo inter eos homines* [Quakeros] *certum erat, ut ſi quis ei rei*, [i. e. vaticiniis] *fidem non haberet, is omnem fidem videretur funditus tollere*. Modeſtiſſime loquendo nimis hyperbolice heic loquitur autor.

p. 272. l. 2. *Quidam Quakerus in urbe Villa Fauſtini, nomine Serles, textor, anno milleſimo Sexcenteſimo Sexageſimo ſecundo, videt in ſuis ædibus in lebete, poſito ſuper ignem, circa ambitum, verba hæc ſcripta literis capitalibus*: WO TO ENGLAND FOR POYSONING OF CHARLES THE II. CARDINAL. Y UNDERSTANDS MOLOCH TWENTY NATIONS WITH HIM. ENGLANS MISERY COMMETH. i.e.: Væ Angliæ a veneficio Caroli ſecundi. Cardinalis. intelligo Moloch. Nationes viginti cum eo. Veniunt ærumnæ Angliæ. *Quo viſo ille homo attonitus vocat idem ſpectatum vicinos. Qui ibidem por tentum admirantur, neque unde exiſtat queunt animadvertere. Conſtitit ſcriptura prope integra hora, ac tum evanuit ſponte. Id oſtentum revera ita ſe habuiſſe multi illius urbis cives & etiam optimates, præter Quakeros, multis confirmaverunt*. In hac hiſtoriola dupliciter erratum, tam ab eo, a quo nonnulla autori imperfecte fuere communicata, quam ab aurore ipſo, qui nonnulla perfecte communicata imperfecte heic annotavit. Prioris generis ſunt: 1°. Annus ſit, oportet,

1661.non 1662, 2°. MOLECH non MOLOCH fuit vocabulum. 3°. Et hoc ſolummodo Capitalibus literis expreſſum, cætera Romanis, 4°. Durabat hæc ſcriptura ſaltem circiter quadrantem horæ. 5°. Hanc ſcripturam viderunt tantum Paterfamilias, ejus uxor & quatuor vel quinque alii. Errores autem autoris ſunt 1°. Quod Serles, iſte textor, nunquam fuit ex Quakerorum numero. 2°. Quando autor ibidem lin. 21. pergit & dicit: *Vidi & legi ego rem & ſcripturam illam annotatam ab Joh. Coughenο*; ubi tamen clariſſimis verbis & literis Anglicis communibus ab eo ſit ſcriptum: **Yonder ſtandeth**; i. e. *ibi ſtat*; pro autoris: **Y underſtands**; *intelligo*; nam tale Y nunquam ſignificat Anglice: *Ego*; ut: I. & *intelligo* debuerat eſſe: **Underſtand** abſque S. Dein **Molech** non **Moloch**, Et poſtmodum loco autoris: **Englans**; Coughenus habet. **Englands**; Porro, **Miſery**; non eſt pluralis, ut *ærumnæ* autoris; ideo *miſeria*, vel, quid obſtat? *ærumna* ſit; ac tandem: **Cometh**; eſt *venit*, non autoris: *veniunt*; Hac de re etiam ab initio hujus p. 4. l. 29. quædam dicta. Poſt hos errores pergit autor: *eo viro, cujus ſuperius mentionem feci* [nimirum pag. 268. lin. ult.] *eo ipſo anno* [forſan 1662. cum tamen nullus ſit annotatus annus] *in libello ejus memoriali* [fuit Calendarium Anglicum anni 1663. impreſſum Londini] *ſervato ab eo anno in Muſæo inſignis viri* [Benjamin Furly] *in noſtra patria, uſque biennium poſt mortem Caroli, interim nulli alii viſo homini, ut in ea annotatione nulla potuerit eſſe fraus.* Hoc autem tali modo accidit: *Cum ipſe Joh. Coughenus in oppido Villa Fauſtini* [Anglice: **St. Edmunds Bury / in the County of Suf-**

𝔖𝔲𝔣𝔣𝔬𝔩𝔨 cætera ſunt, & quæ ſequuntur, autoris noſtri verba p. 269.] *factus miniſter eccleſiæ &c. deſciſcit.* [potius victus eſt Veritate] *ad ſectam* [ſi bono ſenſu ſcilicet] *Quakerorum, tunc, cum ſe ſuoſque maxime ab eo hominum genere conatur munire. Virgo erat Quakera magni nominis a concionandi peritia & efficacia ad quam ingens erat curſus hominum. Cognito hanc habituram concionem hic præco locum adit, indutus ſuo amictu officiali, eo fine, ut ſuo ſermone impediat, ut ne aliqui e ſuis auditoribus illius virginis oratione ſeducantur.* [verius, convertantur] *Ubi vero Coughenus eam audit ſermocinantem, ita animo ſuo toto movetur & accenditur, ut non ſolum ſe hominum doctrinæ & religioni non opponat, ſed etiam pro ea ſentiat & loquatur, & ſtet eopſe loco & tempore, & abiens domum ſuum munus eccleſiaſticum deponat, tranſeatque in ſocietatem Quakerorum &c. Idem tamen vir non multo poſt* [quia abdicando magiſtralem falſæ autoritatis habitum munuſque præconis, ſimulatque abdicaverat ſuſtentandi ſe opportunitatem, ideo] *repetens Hollandiam* [huc uſque autoris verba] parentem nimirum ſuum mercatorem Amſtelodami inter Anglos viſitaturus, divertitur, Rotterodamum tranſeundo, ad ædeis ibidem Benjamini Furly inter Anglos quoque mercatoris & præterea etiam inter literatos viri notiſſimi, abiens autem ex incogitantia reliquit Calendarium ſuum, id quod iſte abſque perluſtratione ad reſtituendum penes ſe ſervavit, cujus tamen uterque poſtmodum oblitus uſque in annum 1687. die 5. menſis Sexti, St. N. Cum ipſe Furly præſentibus aliis tribus, videlicet B. V. H. & D. L. & D. K. in ſuis libris occupatus, horum ultimus autem alia volvens ſcripta incidit

in hoc calendarium, & quædam de diebus feſtis pene Papiſtarum modo inveniens, putat & indicat hoc forſitan papiſticum quidpiam eſſe, tituli enim pagina firmiter erat tunc temporis præcedenti affixa; aſt ipſe Furly hunc reſpiciens libellum, ſtatim ejus recordatus, & inſpiciendo primas ejus conſcriptas pagellas intuetur cum admiratione, & oſtendit quoque reliquis hoc ibidem Cougheni manu & heic ſupra notatum & correctum verbis vaticinium. Præmittendo ſaltem, vaticinium fuiſſe in interiori parte lebetis inſcriptum. Hoc autem Calendarium in perpetuam rei memoriam etiamnum conſervatur in Bibliotheca ſupra dicti B. Furly variis variarum facultatum & linguarum libris inſtructiſſima, inter quos tamen præcipue rariores Theologiæ ſeu de divinis rebus agentes in primis & in poſtremis hiſce ſeculis editi, & inter hos omnis generis & confeſſionis & linguarum Myſtici excellunt.

Alterum infallibile harum literarum apparitionem confirmans indicium eſt, cum poſtmodum quondam præfatus Ben. Furly cum quodam Anglo Henry d'Anvers Cromwelli temporibus Chiliarcha in diſcurſu mentionem hujus ſcripturæ faciens hic reſpondit: non ſolum rem ita ſeſe omnino habere, ſed & in libro, cujus titulus: *Mirabilis annus ſecundus* or the ſecond year of Prodigies &c. & impreſſo 1662. accurate notatam eſſe, omiſſis tamen ob certas tunc rationes ipſis verbis, quem librum & ipſe Furly ſuæ bibliothecæ comparavit, in quo iſta ita proferuntur pag. 64.

XXXIV. A ſtrange inſcription about a Braſs Kettle. i. e. *Mirabilis inſcriptio circum lebe-*

lebetem. We ſuppoſe it is generaly known & believed what happened at Edmunds Bury in the County of Suffolk on the ſecond of March 1661. concerning that ſtrange Inſcription round about a Braſs kettle / &c. what the words were it is not convenient to relate / it being of a dangerous conſequence to publish them &c. We ſhall therefore only give a ſhort account of ſome of the circumſtances relating to this ſtory / whereof we have had a very true Information from inqueſtionable hands. The words were all in the English tongue / and written in one line quite round the Kettle; The letters were Roman Characters plain and legible: none of the words / except the word MOLECH were writ in Capital Letters: all was written in words at length and not in figures: The Letters ſeemed to be of a blackish colour: written / not engraven / and / in the apprehenſion of Spectators / ſticking very cloſe to the Braſs / and more even with the ſuperficies / than Ink upon paper. They endeavoured to wipe it out with a cloth / but could not: Yea after that / the letters ſeemed more bright and clear than before. The Inſcription continued about the ſpace of a quarter of an hour / and then vaniſhed as the dew before the ſun / only the word Molech continued a little longer than the reſt. id eſt. Nos arbitramur univerſim eſſe notum & fide dignum habitum id quod accidit in Edmunds Bury in Comitatu Suffolcenſi ſecunda Martii 1661. quoad Inſcriptionem mirabilem circum ex cupro lebetem &c. quæ fuere verba non convenit ea referre, quia periculoſæ conſequentiæ

ea publicare &c. Ideo ſolummodo brevibus expoſituri quaſdam circumſtantias concernentes hanc hiſtoriam, quarum nos veriſſimam accepimus informationem a fide digniſſimis. Verba cuncta erant in lingua Anglicana & ſcripta continuata quadam ſerie circum lebetem; Literæ erant characteres Romani clare expreſſi & ad legendum idonei: nullum Verborum, excepto vocabulo MOLECH erat capitalibus litteris ſcriptum: omne erat ſcriptum verbis expreſſis non in figuris; [ſeu characteribus] Literæ videbantur eſſe coloris nigricantis, ſcriptæ non inſculptæ, & ſicuti ſpectatoribus apparebat, perfectius cupro affixæ & ſuperficiei æquiores quam atramentum in charta. Conabantur eas detergere [& delere] linteo ſeu panno, ſed non poterant: Imo poſtmodum literæ longe ſplendidiores & clariores apparebant, quam antea. Inſcriptio durabat circiter ſpatium horæ quadrantis, & tunc demum evaneſcebat, ut ros a Sole, excepto ſaltem vocabulo Molech perſiſtente paululum longius, quam cætera.

p. 273. l. 15 *Herefordiæ Quakerus erat, cui ante urbis inflamationem ejuſdem lucidiſſima imago oſtenſa &c.* Tota hæc hiſtoria variis modis ab aliis refertur, quam heic ab autore hæc refertur, nec tamen in his adeo certi quidpiam, ideo ſicco, ut dicitur, pede eam tranſeamus.

p. 275. l. 5. *Quare Quakeri tamen de ſua ſententia non dimovebantur, quaſi ille vir minus verax ad oraculum fuiſſet.* Male ſentit & ſcribit hæc, quaſi de omnibus, autor, quamplurimi enim, & hi non eorum infimi, hæc non ita ſimpliciter admittebant.

Ib. lin. penult. *Si qui deprehenſi, qui nimis audacter*

dacter aut pertinaciter coirent &c in carceribus mandati &c. De primis Chriſtianis eadem fere ſententia olim ethnicorum, uti nunc horum dictorum chriſtianorum de Quakeris. Qua de re ad pag. 247. l. 17. quædam dicta.

p. 276. l. 21. *Pars ſuas ineptias agere.* Si papicola quidam eo modo Reformatis objiceret, quemadmodum præco hic inter Reformatos heic Quakeris objicit, & quidem iiſdem ſuis verbis in lin. 6. *homines illi &c. ſua quiſque pro ſua religione negotia exequi, & nempe ubique negligere atque contemnere cœtus publicos, ac ſuos perpetuo inter ſe celebrare & ſe ſubtrahere, quotiens aut decimas ſolvere aut aliquid ad templorum ſtructuram, aut refectionem conſervationemque contribuere juberentur &c. pars ſuas ineptias agere*; nonne hic ineptus hæc inepta inepte judicando reſpectu Reformatorum eſſet?

p. 277. l. 18. *Præcipua moderatio erat penes judices ſupremos in comitiis & conſeſſu regio.* Cum autor in præcedentibus exhibeat inſignem Quakerorum in Scotia ab omni hominum genere factam perſecutionem, quos inter non ultimi fuere eccleſiarum paſtores, atque tandem cum ſupra citatis verbis, moderatione ſcilicet præcipua judicum, concludit, atque eo ipſo immoderationem aliorum & etiam iſtorum paſtorum vel tacite & tamen juſte taxat & arguit, ut qui ſe præ cæteris ſervos & diſcipulos ſæpe Chriſti jactant, aſt etiam a politicis viris, mundano tractantes negotia moderatione ſuperantur.

p. 278. l. 20. *Keithus acri & ſubtili ingenio vir,* &c. *ita diſponebat, & quæ illi* [Quakeri] *modo rudi & inelaborato exorſi erant, ſic pertexebat.* Quoniam autor conatus eſt ſuccincte & breviter

ex ſcriptis Keithi, hæc colligere, & facile hac via compendioſa diſpendium etiam inſigne humanitus fieri poſſit, dein quoque, an non forſan de ſuis particularibus Keithus aliquid immiſcere potuerit, quod non omnibus, ſi quid ſit, imputandum; ideo ne Lectoris animus per tale quidpiam vel contra Keithum vel alios moveretur, hæc hiſce pauculis bono animo admonere voluimus.

p. 280. l. 19. *Gulielmo Poſtello, aſt ita fatuo & ſtolido &c.* Mirum hoc autoris de hoc viro judicium, cum nonnulli ſint viri pro ratione præditis æſtimati ab aliis, qui omnino contrarium ſtatuunt. Sed hæc nihil ad nos.

p. 281. l. 24. *De animarum perpetuitate & earundem migratione & revolutione per varia corpora, quondam profectum e Scholis Empedocleorum, & Pythagoræorum ac Platonicorum, deinde varie interpolatum ante annos aliquot centum ab nugatoribus magiſtris Judæorum, nominatis Rabbinis. &c.* Hanc doctrinam accepiſſe Pythagoram a Judæis, non autem hi ab illo, penes iſtos, qui hanc doctrinam nunc in Germania ſuperiori ſatis cognitam fovent, nullum eſt dubium, vigetque ea potius apud Judæorum Cabbaliſtas, quam inter Rabbinos, qui omnes hanc a Moſis tempore derivare audent, plura de his in Cabbala denudata, Sultsbaci & Francofurti impreſſa typis.

p. 282. l. 11. *Hic vir &c.* [*nimirum Van Helmont*] *cum &c. ſæpe ac multum de placito illo Platonico e libris Platonis diſſereret cum illa*, [Comitis fœmina] *huc deveniebat, ut ambo in eandem opinionem illam* [nimirum de revolutione animarum] *inciderent.* Si paucorum dierum imo

pau-

paucarum horarum ſpatio autor converſatus cum hoc viro, mihi certo perſuadeo; hæc ſua verba heic non adeſſent, nam in ſuis rebus ex libris diſſerere, ipſi, pene dixerim, impoſſibile, & ſunt, qui eo cum ante triginta ſex & plures annos converſationem non per unam vel alteram horam, aut diem, ſed per annum habuere, qui norunt certiſſime & ipſis tunc temporibus & ante iſta eum hanc de Revolutione opinionem foviſſe & intrepide de ea locutum fuiſſe, nec apud Comitiſſam iſtam poſtmodum ſolum in eam incidiſſe. Sed hæc obiter ſaltem.

p. 285. l. 2. *Gulielmus Pennus poſt obitum Patris Gubernator ac Poſſeſſor Pennſylvaniæ.* Erraſſe heic & pag. 438. lin. antep. & ſeqq. autorem inſigniter etiam in exordio hujus ſcripti pag. 3. in fine notatum. Nam cum ipſe Rex Carol. II. terras quaſdam a Penni parente in Hibernia legitime, & quidem autoritate Parliamenti in Anglia tempore infauſti ibidem illius belli, id inter & regem, ſibi acquiſiverat, quæ olim iſtorum in Hibernia nobilium Regi in militia ſervientium, aſt per Parliamentum, ut Rebellium, confiſcatæ, Rege autem reſtituto veteres harum poſſeſſores, qui Regis Parenti ipſique in bello fideles, ac eam ob cauſam has perdiderant, eas repetebant, annuit Carolus II. ſemet ipſum offert pro eis debitorem; Penni Parens reſiſtere regiæ voluntati nolens nec potis, concedit, conſtitutum itaque fuit certum debitum cum uſuris ordinariis annuis; aſt poſt mortem Patris relicto huic filio neque hoc neque iſtud ſolvendi aut accipiendi ſpes magna, tandem interveniente uno vel altero ex primoribus Angliæ tranſigitur hoc negotium, & huic filio Penno ejuſque hæredibus in perpetuum traditur

iſta

iſta Provincia Anglicana ſub nomine ab ipſo Rege impoſito Pennſylvania cum ſingularibus privilegiis, ut hujus Proprietario & Gubernatori. Hanc autem provinciam, juſque in ipſam Rex ſibi competere putabat vel jure gladii vel quovis alio regio; id quod Penno haut ſufficiens, ideo poſtmodum iſtas terras certo pretio ab ipſis iſtius poſſeſſoribus ſub titulo emptionis & venditionis de novo ſibi acquiſivit, & ita coram Deo & hominibus legitimus Poſſeſſor, Proprietarius & Gubernator hujus Provinciæ in America Pennſylvaniæ factus.

p. 290. l. 15. *Ut ſolitus* [Pennus] *eſſet dicere, ſuæ Quakerorum genti a nullis magis, quam a Socinianis & Papiſtis eſſe metuendum &c.* A quo ipſi hæc communicata, & an vera ſint, incertum; aut ipſi nondum genius nonnullorum in Germania Superiori ita dictorum inter Lutheranos Theologorum notus fuit, qui longe pejus hactenus, quam Sociani & Papiſtæ manibus pedibuſque contra Quakeros, & ſæpiſſime ſub hoc nomine contra ſuoſmet laboravere.

Ib. l 26. *Cum Penno ſuper ea re Quakeri non conſentiebant.* Oportet ut adſit: quidam; aut ſub intelligendum, alias hæc falſa.

p. 292 l. 23. *Et ob id etiam ſuorum Quakerorum ſuſpicionem & invidiam atque odium incurreret Pennus:* Nimis generaliter hæc dicuntur, & ſuſpicionem quidem hanc, non tamen niſi paucorum incurrere potuerit, nullatenus autem ullorum invidiam, aut odium, ut quæ illi vitia longe formidant præcipue in tali caſu.

Ib. l. 25. *Tanta ei* [Penno] *propenſio ac pertinacia in eo, ut promiſcue omnibus, nomen Chriſtianum profitentibus, eodem jure eadem libertas daretur.*

retur. Male dicit heic autor: pertinacia; erat enim tantum perſeverantia & conſtantia in propoſito hoc omnibus deſiderando optimo, ad quod, ſi nullæ aliæ ſint rationes, quæ nos omnino moveant & compellant, quarum tamen innumeræ, videatur hac de re tractatus Anglicus: **A letter concerning Toleration London MDCXC.** abſolutiſſime ſufficeret mandatum iſtud unicum, ab ipſo autore p. 139. l. 10. vocatum præceptum vetus ex ipſo juris adyto, & aurea Salvatoris ſententia, nimirum: „ Quod „ tibi non vis fieri, alteri ne feceris; ſive „quodcunque quis ſibi vult fieri ab hominibus, hoc „ faciat illis.

lin. ult. *Quakeri occaſionem arripere, ac non modo ſuos &c. conventus, ac conciones obire ſed & ea omnia fortiter parare ac conferre*, [ſcilicet in timore Dei & ad ſuum proximique emolumentum] *quæ ad mutuum auxilium & ſtabilimentum &c. ſuarum eccleſiarum ſpectare videbantur.*

p. 293. l. 6. *Sic ab eo tempore introductæ noviter, aut magis accuratæ, œconomia, partitio &c. ordo miniſtrorum &c.* Quid autor heic per ordinem, & poſtmodum per præparationem & vocationem miniſtrorum intelligat, non explicat; Hoc autem certum, quemlibet & quamlibet, qui Spiritus Sancti gratia idonei, abſque prævio alias in Apoſtaſi ad conſtituendos in una vel altera confeſſione miniſtros de ſtudiis eorum Scholaſticis, notitia Theologiæ &c. frivolo ſæpius examine, libertatem concionandi, & alia, quæ in ſtatu abſque apoſtaſia miniſtro competunt, pro cujuslibet menſura obtinere; uti ſupra in not. ad pag. 17. l. 7. num. 5. demonſtratum.

p. 296. l. 2. *Solent percunctati* [Quakeri] *ſuorum his in rebus inter ſe diligentiam & liberalitatem & beneficentiam valde prædicare.* Non valde prædicare, ſed in ſimplicitate animi rem, ut eſt, effari, ſiquidem omnem ejusmodi vanam jactationem quam maxime abhorrent.

p. 298. l. 9. *Forte leve ac frigidum fuerit plura narrare, ut multa fuſe lateque commemorari poſſent.* Quæ ſunt iſta?

p. 300. l. 22. *Retulit mihi quiſpiam fide dignus vir, ita tempore quodam tremuiſſe omnes, quorum ipſe erat unus, ut conclave omne velut terræ motu contremeret.* Qui autoris iſte quiſpiam ſit penitus incertum, ut & an ab ullo unquam Quakerorum ejusmodi verba ita fuerint prolata, nimirum: *ut conclave omne velut* &c. Ex iis quidem G. Sevelius ſibi in memoriam revocavit, ſe non raro ſermonem cum autore habuiſſe, ipſique inter alia retuliſſe, ſe plus quam ſemel interfuiſſe congregationibus, ubi efficaciſſimis concionatorum precibus omnium fere auditorum animos quaſi commotos fuiſſe, ſed ne verbulum quidem de conclavi.

Ib. l. 26. *Cum id interdum ita evenit, ut nulli ſint, qui ſpiritum queant exorare, ſic ut faciat eos loqui.* Nollem hæc & alia ibidem ejuſdem generis verba, etiamſi ſeſe ita exhibere videantur, cavillandi animo eſſe prolata, nimis enim ſeria & ſevera eſt Apoſtoli etiam heic admonitio Gal. 6:7. *Ne errate: Deus non irritetur.*

p. 301. l. 17. *Niſi quod accidit aliquando, ut ſimul cantent.* Qui autori hoc *ſimul* dixerit non ſatis clare heic expreſſit, ad minimum non more aliorum vulgari vel verbis rhythmicis, nec ex libris melodiarum humana arte inventarum.

p. 302. l. 4. *Preces potiſſimum lugubres ſunt lamentationes, quæ quanto ſunt ſubmiſſiores, tanto ſe magis ſuum exiſtimant officium conficere.* Autorem has unquam audiviſſe ex dictis hiſce penitus incertum, & vix credibile; ſi tamen aliquem tali modo, ob ſingularem quandam rationem, precantem unquam audiverit, male quidem a particulari ad univerſale progreditur. Legat, ſi placet, Lector preces concionibus Stephani Criſpi annexas & in Hollandicam linguam nuper tranſlatis, publiceque in Anglica Londini habitis; tumque judicet inter hæc & autoris verba, ſi ipſi non daretur occaſio auretenus alios audiendi.

Ib. l. 7. *Cantant & pſallunt, non moderata pronuntiatione verborum, aut muſica modulatione, nedum verbis metricis rythmicis &c. at ſolius in ore ſoni colliſione ac flexu, fere ad eum modum, quo Hiſpanorum natio & Mauri in Africa, hos ſi quis audierit, ut nos utroſque in illorum terris audivimus ſæpe, cantitantes.* Qui per hanc autoris deſcriptionem talem cantantium & pſallentium modum comprehendere valet, feliciſſima oportet ſit imaginationis facultate, cum & iſtis præſentes eoſque audientes vix hæc intelligant, niſi quis eadem autoris felicitate fretus, in iſtis Africæ partibus &c. Hiſpanos & Mauros, uti ipſe ſæpe, cantitantes audiverit. Aſt non cuivis contingit adire Corinthum.

Ib. l. 27. *Si forte quiſpiam vafer & inſidioſus vel irriſor accedat, & ipſorum* [Quakerorum] *imitetur orationes moreſque, mox &c. dignoſcunt, & notant, ut ſanionem & prohibent, arcentque.* Quanta ſit inter rei veritatem, quæ divinæ gratiæ in homine agentis originem ſuam debet, & in-

inter ſimulationem & imitationem ejus, abſque illo interno Dei dono & ſolummodo ex ſolius hominis intentione, inſignis differentia. manifeſtum eſt inter plurima etiam vel ex hiſce, quæ autor heic in genere, & ſpeciatim quoque poſtmodum pag. 356. ſcribit de quadam Amaſia regis Caroli II. Hæc olim hiſtrionica apta omnium mores geſtuſque imitari, aſt reverſa ex congregatione quadam Quakerorum ad mandatum regis, ut eorum geſtus, moreſque aliaque, quæ viderit, repræſentet, ſemet excuſavit, eſſe enim eadem, quæ imitari ipſi impoſſibile ſit. Hæc pluribus exponit autor ibidem, eademque de morione quodam regio dicit.

p. 304. l. 5. *Extra has* [ædes] *his temporibus raro aut nunquum audias differentes ac verba facientes hominibus de iis, quæ volunt alios &c. docere, ſecus quam olim in viis, in foris, in templis aliorum &c. Cujus rei mihi ſciſcitanti cauſam, cum hodieque eadem id faciendi ſit neceſſitas & occaſio, illi haut aliud reſponſum reddunt, quam nunc non ita placere Spiritui Sancto.* Imo & aliud eſt reſponſum, nimirum: cum nunc ſint notiſſimi, non autem ita ab initio, habeantque ædes, &, ut autor in præcedentibus loquitur, *alicubi ſpatioſas & etiam nitidas*, nec ita ab initio. Ipſorumque doctrina, mores, vivendique modus per tot tempora jam non in obſcuro, id quod non ita ab initio; ideo videt autor, hodieque non eandem & tantam id faciendi eſſe neceſſitatem & occaſionem, uti olim ab initio.

Ib. l. 15. *Hoc ipſis cum quibuſdam Proteſtantibus convenit, quod dies feſtos nullos agnoſcant, at non convenit hoc iis neque placet cum Proteſtantibus aliis, quod diem primum hebdoma-*

dæ,

dæ; quem a Domino Jeſu Chriſto appellamus dominicum, habeant feriatum, & eum velint obſervandum virtute præcepti quarti. Inter alias & hæc ratio non contemnenda, quemadmodum numerus ſeptenarius ab octonario differt, ita ut iſte nunquam hic, nec hic ipſe fieri queat, & ſic eorundem numerorum dies; ita quoque differt Sabbathum V. F. a die Dominica N. F. neque ulla inter hos dies convenientia. Vid. quoque hac de re R. Barclai Apologia Th. 11. §. 3. & 4. pag. in Lat. 224.

p. 305. l. 1. *Londini &c. ſuos cœtus agitant, idque ſæpe tanta affluentia hominum, ut &c. quidam in animi deliquium incidant ex anguſtia, qui cum ſæpe aceto, quod ad id paratum habent, refocillantur, hinc ortus lepidus cavillus, ut jam fere omnis rumor &c. habere Quakeros in ſuis cœtibus ampullam ſive lagunculam, in eaque potiunculam, e qua qui bibit, evadat Quakerus.* Ridicula ſunt, quæ heic adferuntur. Nam etſi forſan accidere potuerit, quemadmodum ubivis in populi multitudine abſque aura libera, ut quidam lipothymia corriperetur, interim hoc non fit ſemper, ut ſemper paratum adeſſe debeat in ejusmodi congregatione acetum, quemadmodum etiam revera non eſt in Quakerorum congregatione ulla, uti autor heic refert. Itaque ſi unquam hoc factum, lagunculaque viſa, mirum quomodo huic lepido autoris cavillo & tanti rumori occaſio exin orta.

Ib. l. 15. *Sicut homines hi, cum aliis inquietis hominibus, quantum ad miniſtrorum eccleſiarum præparationem, inſtitutionem, ordinationem &c.* Quinam alii iſti ſint inquieti homines, Quakerorum minimi intereſt, nec ſe iis conjungendos

putant; ſi qui ſint, ſe certe tales non eſſe, certi ſunt, niſi iſti inquieti ſint vocandi homines, qui abuſus miniſtrorum talium in rebus divinis abhorrent, oſtendunt, tollunt, meliora inſtituunt; & ſi hi inquieti ſint, non video, quei, reſpectu Papiſtarum, tam Lutherani quam Reformati appellationem inquietorum hominum effugere poſſint; quoniam autem hi iſtis hoc nunquam permittent, ita nec hoc Quakeri huic autori. Neque Quakeri hæcce in omnibus Proteſtantibus, uti autor loquitur, reprehendunt, ut qui ipſi in numero Proteſtantium continentur, & ſe tales eſſe ſæpius in Parliamentis Anglicanis demonſtrarunt.

p. 306. l. 12. *Sic pueros mitti ad ſcholas & academias.* Etiam Tertulliani tempore ſcholas & academias, certe parum ab hodiernis reapſe differentes, exigui fuiſſe valoris inter primævos Chriſtianos, hæc ſua edocent verba de Præſcript. Hæret. ,, Quid Athenis & Hieroſolymis? quid ,, academiæ & eccleſiæ? Quid hæreticis & Chri- ,, ſtianis? Noſtra inſtitutio de Porticu Salomo- ,, nis eſt, qui & ipſe tradiderat Dominum in ,, ſimplicitate cordis eſſe quærendum. Viderint ,, qui Stoicum & Platonicum & Dialecticum ,, Chriſtianiſmum protulerunt. Nobis curioſi- ,, tate opus non eſt poſt Chriſtum Jeſum, nec ,, inquiſitione poſt Euangelium. Cum credimus ,, nihil deſideramus ultra credere. Hoc enim ,, prius credimus, non eſſe, quod ultra credere ,, debeamus. c. m. 7. & 8. A.

p. 309. l. 4. *Non negant* [Quakeri] *hiſce viris* [miniſtris eccleſiarum veris] *deberi ſuſtentationem in victu & amictu &c. e mandato divino.* Niſi habeant ipſi unde vivere queant.

p. 311. l. 1. *Ubi quis ſentit in animo, ſe non ineptum*

eptum ad miniſterium eſſe, & ni abi huc a ſpiritu, non continuo accurrit &c. Loquitur heic autor de rebus, quas nec novit, nec intelligit.

p. 312. l. 2. *Quod ſi vero miniſter aliquis præmatur inopia, atque illi, quibus miniſtrat, ſint adeo parci ac reſtricti, aut adeo duri, ut nil velint præbere, hanc ei libertatem largiuntur, ut abeat, ac quoque pulverem excutiat de pedibus.* Hoc nunquam inter Quakeros accidiſſe aut actum fuiſſe notiſſimum eſt; ſed quando ad alios ad annunciandum Euangelium venere, hique ſe ingratos ad audiendum & immorigeros quoad doctrinam, non autem quoad victum & amictum, præbuerint, tunc abiere pulveremque pedum excutiendo, non ob libertatem quandam ab ullo hominum cujuscunque conditionis & ſtatus acceptam, ſicuti autor heic male appoſuit, & forſan ſecundum conſuetudinem & morem inter ſuos, ubi, etiam in divinis rebus, homines ab hominibus dependent, id quod non ita inter Quakeros, ubi in his quilibet ſua utitur libertate, quæque nec ab ullo hominum poteſt dari, ſed a ſolo Deo; omnes enim una eademque gaudent libertate, nec ullus in ullum habet imperium in ejusmodi rebus aliquid ordinandi.

Ib. l. 8. *Accidit Quakerorum, quod nulli non contingit Societati, ut etiam ingerant ſe viſi facie ac fronte &c. quorum poſt longum tractum temporis audacia & importunitas erumpit e latebris, &c. facile nata ſuſpicio hominum, eſſe Quakeros &c. & modo hominum e turba hominum teterrimorum congeriem.* Si unquam tale quid acciderit, uti autor ibidem pluribus refert, quo de tamen non immerito dubitatur, non abſimilia & longe pejora legimus quoque primævis Chriſtianis accidiſſe,

 quem-

quemadmodum Tertullianus innuit ad Nat. dicens: „ Quod dicitis: peſſimi & probroſiſſimi, „ avaritia, luxuria, improbitate. Non negabimus quoſdam, ſufficit & hoc ad teſtimonium „ nominis noſtri, ſi non omnes, ſi non plures. „ Neceſſe eſt in corpore &c. c. m. 5. p. 43. C.

p. 314. l. 14. *Si ſunt, qui cupiunt matrimonium inire, id in cœtu indicant ſenatui eccleſiaſtico.* Vana ejusmodi autoritas inter Quakeros, ipſiſque prorſus ignota; ſed quæ autori talis, eſt inter eos congregatio non eorum, qui in miniſterio ſolum, ſed omnium, quotquot in iſta congregatione adeſſe poſſunt & volunt una eademque autoritate.

p. 315. l. 1. *Illic ſponſus atque ſponſa rogantur ſuum propoſitum &c.* Autor in his ſecundum ſuas ideas ex conſuetudine ſuorum, non autem uti res eſt inter Quakeros, loquitur; minime enim rogantur, ſed ſponſus & ſponſa dextris junctis primum Sponſus ſuiſmet pro lubitu conceptis verbis publice & clara & diſtincta voce eloquitur in hunc ſenſum: Se coram Deo & præſentibus omnibus ducere in uxorem N. N. ipſique animum & propoſitum eſſe per Dei gratiam cacum, ut honeſtum decet maritum, vivere, neque eam, niſi per mortem, deſerturum; Poſtmodum ſponſa pro ſua conditione ſimilia eodem modo, uterque abſque ulla præmiſſa interrogatione; & tunc ſequuntur, quæ ibidem lin. 13. *& his dictis* &c.

p. 318. l. 22. *Salomon Eccles multum ſenſit mali, ſed ita, ut illud ſua audacia &c. ultro attraheret.* Hujus viri actiones ſingulares, ut ſingularia, cæteros non tangunt.

p. 322. l. 2. *Nubitque illa Foxo, non ad paſtum hujus mendicitatis.* Quare autor hiſce objiciat Foxo mendicitatem, qui tamen nulla ad neceſſitatem re externa per gratiam divinam indigebat, non video, niſi ſit ex præcipitantia quadam, affectibus, ſtudio partium; pertinet ergo ad not. p. 17. l. 7.

Ib. l. 9. *Gallus ille ſcripſit de hoc pari, deque variis honeſtis hominibus in ſuo opuſculo Gallico &c.* cujus titulus eſt. *Hiſtoire abregée de la Naiſſance & de Progrez du* KOUAKERISME *avec celle de ſes dogmes. A Cologne Chez Pierre Marteau* 1692. Aſt autor noſter in his & poſtmodum pag. 376. l. 17. & hoc opuſculum & ipſum autorem vivis exhibet coloribus, dicens in hiſce: *Opuſculum hoc eſſe omnibus mendaciis refertum, factumque ad cachinnos populares, & poſtmodum: eſſe libellum maledicum, non modo mendacem &c, ut certum ſit, eum non habuiſſe aliud propoſitum, quam homines bellulis verbis, alios ludere, alios inducere.* De autore autem ipſo ita: *Eſt homo impurus, nequam, quem nunc poſt multiplices in religione caſus & errores & converſiones, hi qui eum norunt, quique mihi non ſunt ignoti, mihi ſcribunt, ſtrenue agere Papiſtam Pariſiis.* Videant ergo, qui hoc hujus Galli ſcriptum tam inconſiderate contra Quakeros adducere audent, uti a Paſtore Hamburgenſi Winklero factum, qualem ſibi ſuiſque ſcriptis eo labem & ignominiam concilient, & cautiores facti impoſterum non quodlibet pro quolibet, in hac re tam ſeria ac gloriam divinam æternamque hominum ſalutem concernente, in vanum adhibeant.

p. 327. l. 2. *Cum Grenius in ſua domo.* Hoc neque in ſua domo, neque iſtis temporibus, ſed multis annis antea accidit.

Ib. l. 17. *Et illi de illius* [Grenii] *habitu*, non veſtium, quo nulla inter hos differentia, ſed animi, &c.

p. 335. l. 21. *Cum Pennus & Madus abducti in carceres in eo pertinaciter perſiſtebant, ut quod erat judicatum non ſolverent, pater Penni ambos ære illo & per hoc carcere, de ſuo liberabat.* Hoc non adeo certum.

p. 336. l. 28. *Ubi illi, videntes unam eſſe in fuga ac celeritate poſitam ſpem, ſe in pedes conjicere.* Non eſt, nec fuit unquam horum hominum mos fugere pericula, ſed potius ea omnia conſtantiſſimo in Deum animo ſubire, cujus rei quamplurima ab autore paſſim appoſita exempla.

p. 343. l. 14. *In quibus colloquiis Foxus non ſemel oſtendebat, quam impar eſſet qui cum viris præditis arte differendi congrederetur.* More ſcilicet Scholaſticorum, uti hæc hujus loci colloquia erant.

Ib. l. 22. *Cum Crowderus ſic concluderet, ſiquidem juramentum olim licitum fuiſſet a lege, nunc ſub Euangelio illicitum non eſſe, perinde atque adulterium & talia vitia, vetita per legem, nunc nequaquam licita eſſent, Foxus iſtiusmodi argumentationis inſolentia & inſcitia conſequentiæ offenſus, inæſtuare &c.* Sentiens Foxus ex captioſa Crowderi propoſitione pravam hujus animi intentionem, non adeo ad illam, quam ad hanc, & quidem non tam abſurde reſpondit. Siquidem in re ſeria tali ſcholaſtico modo agere, & eocum, cui ſimilis incognitus, non adeo eſt diſputare, quam nugari, nec quoque de Foxo dici poteſt, eum ideo inæſtuare; hæc enim autor certe vix ab aliquo Foxi fautore & amico percepit,

quis

quis ergo omnes in his circumſtantias, ut quæ multum ad rem ipſam faciunt, ita ſe habuiſſe, certus eſſe poterit.

p. 344. l. 7. *Alius vir eccleſiaſticus &c. diſſerens cum Foxo de perfectione Sanctorum in hac vita & utens inductione e ſacris literis &c. eum percontabatur, ille quid de ſe cogitaret, atque id, ut ingenue reſponderet &c. petebat: Ad quod Foxus &c. nil aliud, quam verba hæc, Ego gratia Dei ſum is, qui ſum.* Huic quæſtioni aptiſſima erat hæc reſponſio. Nam ſi alias quoad perfectionem vel negative vel affirmative de ſe Foxus abſque judice viſibili & æquo reſpondiſſet, neceſſario retibus dulce canentis fuiſſet implicatus.

p. 345. l. 5. *Scribebat Foxus, curabatque excudi & edi ſua lingua Anglicana has epiſtolas omnes, & neque ſic tamen, nedum tranſlatas in cujuſque gentis linguas, mittebat aut mitti curabat &c. ut potius ſigna fuerint animi operoſi &c.* An omnes hæ epiſtolæ fuerint tranſlatæ incertus, aſt certiſſimum quamplurimas fuiſſe tranſlatas & in iſtas, quas ſpectabant, oras miſſas, tam a Fiſhero quam aliis. Ipſe G. Sevellus tranſtulit Quæſtiones ad Pontificios in Latinum ſermonem, & per tabellarium ordinarium ad Papam fuere miſſæ. Et ex ejus ultimis, quæ inſcriptæ: *Divina ac Cæleſtis ſalutatio*; ex Anglica in Latinam linguam verſæ anno 1690. Londini excuſæ, & poſtmodum in congreſſu Oratorum Regum, Electorum, Principum &c. Hagæ comitum cunctis iſtis præſentibus traditæ, ita ut hoc autoris relatio valde ſit manca, idque ſuum ex his judicium non admodum Chriſtianum, quaſi, ut ipſe ibidem loquitur, *hæc potius ſigna fuerint animi operoſi & confidentis, atque etiam arrogantis,*

quam aliquam utilitatem habuerint.

Ib. l. 16. *Locutores erant a parte Quakerorum &c. A Baptiſtarum parte erant &c. omnes in ſua quiſque gente miniſtri verbi.* Tales quidem hi inter ſuos ita vocant, iſti autem non.

p. 347. l. 1. *Robertus Barclajus ſcribit ſuas theſes Theologicas mittitque ad doctores, profeſſores, ſtudioſos Theologiæ &c. Dein ſequente anno ſcribit vulgatque Apologiam.* Has theſes Barclajus affigendas curavit Franekeræ, quæ academia eſt Friſiorum, collegio Theologico, contra quas poſtmodum ſcripſit Nicolaus Arnoldus Profeſſor ibidem Theologiæ, ad hunc reſpondendum videt Barclajus opus nimium augeri, concludens igitur id in Apologiam convertere, quam poſtmodum edidit, miſſis antea theſibus in iſta loca, quorum autor ibidem meminit.

p. 348. l. 19. *Poſtremum Joh. Chriſtoph. Holthuſius &c. ſua lingua Germanica opus conſcripſit prolixum, cui nomen fecit Germanici Antibarclaii, dignum, cum Quakeri nec dum ad illud reſcripſere, quod unus &c. examinet.* Hic liber anno 1691. Francofurti ad Mænum impreſſus Germanica lingua tardius heic in Hollandiam venit. Cum autem & alia ab aliis Lutheranorum dictis Theologis vario modo edita ſint ſcripta, in quibus tamen omnes una eademque oberrare chorda videntur, & ita haut operæ pretium ſit, ſingula ſeparatim diluere & refutare, ſed commodius annuente divina gratia cuncta in unicum faſciculum comprehendere, & quid verum quid falſum in iis oſtendere, & tunc hoc Holthuſi ſcriptum non excludetur.

Ib. l. 27. *Romæ Michael Molinus &c. edebat librum, cui titulum faciebat Ducis ſpiritualis. In*

quo

quo Theologiam myſticam jam multos annos in papatu intermortuam revocabat &c. Theologiam myſticam ſemper fuiſſe in papatu æſtimatam, & etiamnum æſtimari, oſtendunt ſcripta quolibet fere ſeculo edita, uti in noſtro nunc eſt Thereſiæ, Capucini Joannis Euangeliſtæ &c. ſed Molini opera adhuc præter ea quamplurima alia continent.

P. 352. l. 17. *Sive autem id inde factum, ut hi viri*, [ſc. Foxus, Keithus, Pennus] *pericula hæc ſubterfugerent* &c. Quare autor hos heic homines de fuga ſuſpectos ob pericula facere intendat, quorum tamen conſtantiam, nulla pericula metuentium, ut & aliorum per obſtinationis, pertinaciæ & audaciæ voculas valde exaggerat, non video, aſt bene quam difficile ſit homini affectus, ſtudiumque partium a ſe removere; nam ipſorum negotia, quæ iſtos ad hoc ſuſcipiendum iter impulerant, ipſe autor in ſequentibus, quantum ipſi placet, exprimit, & hoc nonnunquam non ſine exiſtimatione præſumta &c.

P. 356. l. 3. Helena *erat, Anglis* Nelia.] Eleonora oportet ſit, nam Anglice: *Eleonor*, per iis conſuetam abbreviationem pronuntiando eſt *Nel*. qua de ſupra.

P. 368. l. 6. *Quakeri omnes, alioqui non adeo ſuaves & ruſticiores.* Si autor per has voculas intelligat externa, mundana, ſimulata & pene ſemper falſa externarum inter homines ceremoniarum quaſi benevolentiæ ſigna, bene loquitur, aſt ſi eorum ſinceritatem, grati animi indicium &c. voculis non hypocriticis, ſed puris, veris coram Deo & hominibus exprimenda, male; videt

enim & narrat ipſe, iſtos & iis, ſi opportunitas & neceſſitas poſtulet, uti poſſe.

Ib. l. 28. *Quidem Quakerus regem compellat operto capite. Rex ſuum caput aperit, ille regem monet, ne id agat. Ad quod Rex, oportere ubi Rex eſt unum dumtaxat capite operto eſſe.* An ita hoc peractum, nec ne, in medio relinquitur; aſt hoc refertur, Præſenti Regi & fratrem & affinem & Oratores Regum, Principum &c. tectis adſtare capitibus.

p. 374. l. 5. *Turris Londinenſis.* Arx Londinenſis, ſedes olim regia, locus ampliſſimus & honeſtiſſimus, nunc autem inter alia etiam pro captivis, attamen non niſi iis, qui illuſtrioris ſtatus & conditionis.

p. 376. l. 17. *Ille auctor Gallus, quem paulo ante non ad ejus laudem notavi.* Nimirum p. 322.

p. 377. l. 4. *Homines hi* [Quakeri] *in uſu non habent, ut Scripturam appellent verbum Dei.* Certo reſpectu tamen omnino admittunt. Videantur inter alia Errinnerungen p. 164.

p. 380. l. 7. *Exiit hoc anno* [nimirum 1694.] *Pennus ex hoc carcere* &c. *contracto denuo matrimonio.* Ab initio hic error inſignis paucis annotatus, cum ipſe Pennus forſan eo anno nec cogitaverit quidem de matrimonio, id quod nunc demum, *Anno ſc.* 1696. ante unum vel alterum menſem iniit; Relationibus olim novorum Harlemenſibus autor deceptus falſiſſimum hoc ſpargentibus.

Ib. l. 12. *Foxus ſuæ a ſe inventæ ſectæ.* Quam ægre ferat autor, ſi quis de Reformatis dicat: *Calvinus ſuæ a ſe inventæ ſectæ.* Cum quoque præterea Foxus, cujus ipſi admiranda a Deo data

ta dona autor pene pro nihilo habet, nunquam in animo habuerit, imo nec potis fuerit ejusmodi ſectam invenire aut conſtituere, mutuus enim horum hominum conſenſus, non ex Foxi inventione, regulis aut voluntate, ſed unice & ſolummodo per lumen divinum gratiamque divinam Spiritus Sancti regimine, præter omnium expectationem & intentionem, obortus.

p. 381. l. 11. *Scripſit Foxus non multo tempore ante quam deſiit inter mortales verſari & eſſe &c. librum permagnum.* Eſt iſte vocatus JOURNAL de quo ſupra p. 48. ad not. p. 89. l. 15. actum; id quod ex notatis ab ipſo, quæ ſtatim, quando aliquid notatu dignum ſeſe obtulit, multo tempore ante fuere conſcripta, conſtat.

p. 382. l. 5. *De cætero licet mihi de illo prægrandi Foxi libro dicere, perpaucas complecti hiſtorias* &c. Nec erat neceſſarium ipſi nec animus hiſtoriographum agere, ſed divina tractare, quæ in hoc libro copioſe extant, ſi quis divina intelligere idoneus.

Ib. l. 21. *Interdum* [Foxus] *doctis dolis ludens.* Qui in ſuis rebus ſemper ſerius & gravis, quando & quibus ergo dolis ludens doctis? Qui autori illiteratus, & indoctus ſemper.

p. 383. l. 5. *Præterea erat ille vir animoſus, opinioſus, moroſus &c.* Oblitus in his eſt autor penitus promiſſi ſui ab initio facti, *ſe nil quicquam exiſtimationi præſumtæ &c. tributurum, ac omnino quales hi homines ſint, & quid ſit habendum de eorum actis, ut & ſacris ſcitiſque ac moribus* UNIUSCUJUSQUE JUDICIO *relicturum.* Hujuſque enim acta hactenus ſuperflue, & potiſſimum inique deſcripſit autor, nuncque illum ipſum, albiſſima creta dignum, carbone

bone, & ut nigrum, denotat & exhibet, ſibique neſcio qualem arrogat autoritatem, quæcunque in mentem veniunt de hoc viro fideli Dei & Jeſu Christi miniſtro, audacter enarrare, ac ſi unquam eocum familiariter vixiſſet, ejuſque intimam notitiam habuiſſet, cum tamen, uti ex ſuis verbis manifeſtum eſt, ejusmodi deſcriptio non niſi ab ipſius Foxi malevolis & forſan inimicis ſit ipſi ſuppeditata, & inter alia ideo grata, ut ſicuti hactenus, quam primum Foxus concionandi munere fungi incepit, in ipſum, ubi exigua quædam occaſio, invectus, ita & nunc ſuam de ipſo narratiunculam præmiſſis iſtis ſuis convenientem finire poſſit. Aſt non cogitat reddendam eſſe de ejusmodi protervis actionibus rationem vel nunc vel aliquando.

Ib. l. 20. *Scribit unus e Foxi pervetuſtis amicis ac perneceſſariis, in quadam ad me epiſtola de Foxo:* Quo ſenſu & qua intentione hæc epiſtola ſcripta, & an iſte talis ex amicis Foxi fuerit nec ne, tranſeat; hoc autem certum, ſi autor fidem ejus verbis dediſſet, nimirum: *Foxum pro ingenii modo devotum cultui Dei ac pietati promotioni inter homines & in converſatione mitem fuiſſe*; vidiſſet ſe ſuiſmet ipſis antea prolatis verbis, nimirum: *Foxum fuiſſe animoſum* &c. *moroſum* &c. hiſce contradixiſſe, & ita ea refutaſſe, quibus & heic hiſce eſt acquieſcendum.

p. 484. l. 7. *Quoad Foxus vixit, Quakeri uti fratres inter ſe concordiſſime viverent, &c. nunc Foxo mortuo, veluti ſublato jam ſupremo magiſtro &c. ortum in Anglia ingens diſſidium.* Autori non ſatis omnia hac in re ſunt cognita, & ſi aliquod ſit diſſidium, non tamen tam ingens, uti

uti autori loqui libuit, ſed eo ſolummodo, quemadmodum etiam Apoſtolorum temporibus, ita hiſce & vivente Foxo & nunc nonnulli, veram non ſequentes doctrinam, irrupuere & irrumpunt; aſt qui cum ſuis adſtipulatoribus & adhærentibus facile devicti & ſæpe ipſimetipſi ſemetipſoſmet in nihilum redigunt; Quod autem indies plures ejusmodi diſſentientes prodeant, ſeſeque augeant, non eſt cauſa Foxi obitus, ſed & in his eadem, quæ Apoſtolorum temporibus, aucto enim piorum numero, impoſſibile videtur, ne & alii, non ita puri, ſeſe immiſceant, imo & ſtatim ab initio, Act. 15: 2, 1. legimus Antiochiæ n n parvam repugnantiam & diſceptationem Paulo & Barnabæ ortam eſſe, adverſus iſtos, qui deſcenderant e Judæa. Et longe alia & contraria fuit ſententia eorum, qui ex hæreſi Phariſæorum erant & crediderant, quam Apoſtolorum & totius congregationis de Lege Moſis ob fideles ex ethnicis. Ibid. v. 5: 24. ſeqq. Sic & inter Proteſtantes alios, ſint vel Lutherani, vel Reformati &c. orta nunc vigent diſſidia, quorum ab initio nulla notitia, & quamvis hi omnes ſua ſcripta habeant ſymbolica, quæ majori, quam ipſi magiſtri, pollent autoritate. Aſt Foxus nunquam ejusmodi ullam ſibi quæſivit autoritatem, multo minus acquiſivit, ut ſaltem pro magiſtro, quomodo ergo pro ſupremo magiſtro? haberetur, cujus rei etiam in antecedentibus crebrius facta mentio, ideo plura his addere haut opus.

p. 385. l. 1. *Adeo ea diſputatio multis erat moleſtiæ* &c. Quæ autor de hac diſputatione controverſiaque heic enarrat, ut abſens & ex dubia aliorum informatione, qui vel uni vel alteri diſſen-

diſſentientium parti addicti vel magis amici ſunt, hæc ſcribens, eſt impoſſibile, ut veritatem ita, quemadmodum ipſa ſe habet, licet omnem hac in re lapidem moveat, exprimere valeat; ideo non quodlibet, quod in his proponitur, ita ſimpliciter pro re vera accipiendum, ſed in plurimis longe aberratum; id quod tamen ordine, plane & plene tradere, neque hujus loci, neque inſtituti, neque temporis eſt.

Ib. l. 18. *Et brevi adfore tempus, quo ſecta ac nomen ſuo proprio niſu ad nihil recidant.* Solis quidem ſplendor nebuloſis nonnunquam vaporibus cohiberi & obſcurari, nullatenus autem penitus ita tolli poteſt, quin poſtmodum majori ſe & penetrantiori efficacia exſerat & oſtendat; eadem quoque ab jacto pene mundi fundamento, præprimis N. F. tempore Veritatis ſplendori accidiſſe nullus, niſi cui vel ipſæ Sacræ Scripturæ ac hiſtoriæ profanæ ignotæ ſunt, ignorat.

p. 386. l. 3. *Itaque manet adhuc dum malum cum ſummo probro ac dedecore.* Scilicet, ſi quod ullum eſt, ipſi ſolum, qui huic diſcordiæ dedit anſam.

LIB. III.

p. 391. l. 19. *Quam* [Americam] *hi ipſi Quakeri omnium primo adibant, ideo quod ſperabant, ſe illic inter ſuos, quaſi non ſolum propinquitate, ſed etiam una cauſa, cur patriam fugiebant, conjunctos, plus promoturos, ſaltem majori libertate, quam in Veteri Anglia, fruituros;* Bellas haſce rationes, ab autore appoſitas ex ipſius

ipſius tantum inventione eſſe, quare nimirum hi homines peregras iſtas oras viſitaverint; ex eo manifeſtum, quod hi homines ſua non quæſiverint, neque ſe fuga ex patria ſubduxerint, nec majorem libertatem inibi expectaverint, ſed potiſſimum, ut Veritatis teſtimonium ibidem proferrent & ederent, quemadmodum hæc ex hactenus ab ipſo autore dictis & iis, quæ in ſequentibus dicentur, clara evadunt; ipſi enim ibidem longe duriora paſſi, imo & quidam ipſam mortem, quæ tamen ipſi incommoda omnia potuiſſent evitare, ſi ſe fuga etiam ex iſtis locis voluiſſent ſubducere, imo, ſi educti, expulſi reverti noluiſſent, cujus tamen incommodi in ipſa Anglia periculum nullum fuerit.

p. 394. l. 14. *Querebantur mulieres*, [ex Quakeris] *fuiſſe, qui ſe eſſe mulieres impuras & meretrices calumniarentur.* Certior relatio habet: Sagas.

p. 412. l. 20. *Atque ubi vident homines præfractos* &c. Quare autor homines iſtos in re divina ſecundum ſanctum in ipſorum conſcientia teſtem & judicem coram Deo conſtantiſſimos, mallet præfractos quam conſtantes & in veritate [& ſi alii ipſeque aliter, non tamen niſi humanitus, ideſt, erroribus ſubjecti, judicent,] perquam perſeverantes vocare, forſan ex exiſtimatione præſumta &c. factum, & certe non dubitandum. Aſt judicabit aliquando & in his ipſe, qui recte omnia judicat.

p. 417. *Ut ſibi perfugium & ſolatium eſſet.* In præcedentibus autor agit de inhabitantibus Novam Angliam, *qui* alias *omni tempore clamaverunt, non ſine religione vitam, neque ſine probitate religionem & neutram ſine conſcientiæ libertate*

tate eſſe poſſe, atque ut ſuam ſibi factam in Anglia injuriam, ut rem intolerandam effugerent, in hanc ultimam terræ plagam conceſſerant &c. Hujus autem rei obliti nunc eodem modo, qui ipſis olim intolerandus, alios proſequerentur, & quidem Quakeros, *qui ſimili in cauſa in ſimilibus ærumnis, maxime ad eos, ut ſibi perfugium & ſolatium eſſet, &c. aceeſſerant.* Qua in re tamen autor ex exiſtimatione præſumta ſe, lectoremque quam maxime decipit, licet forſan præter opinionem; nam longe alia erat cauſa, uti paucis ad pag. 391. l. 19. quædam notata; hos enim ob Veritatem martyres patriam ſuam, cunctaque ipſis externa ibi cara ſolummodo propter divinum internum impulſum reliquiſſe, eſt certiſſimum; ut & nullum unquam eorum ex Anglia ob perſecutiones utcunque violentas ſeceſſiſſe & aufugiſſe; quamvis hæc & ſimilia autori aliiſque vix credibilia, quippe quibus ſolidam Veritatis viam, hæcque ejus teſtimonia non tam perfecte videantur eſſe cognita, ideo ipſis hæc, quæ ita ignoranter quaſi proferunt, ignoſcenda

p. 420. l. 20. *Quanquam tam gravis pæna* [nimirum mortis in Nova Anglia] *legibus erat conſtituta &c. in Quakeros eos, qui ſemel ejecti redirent, &c. tamen non deerant, &c. qui revertebantur. &c. Hujus obſtinationis atque audaciæ exemplum cumprimis erat illa eadem Maria Dyar &c.* Eædem etiam erant olim ethnicorum cœcorum in Chriſtianos calumnioſæ objectiones, uti in præcedentibus paſſim dictum & Tertullianus in Apologet. dicit: „ Sed quidem demen„ tiam æſtimant, quod cum poſſimus & ſacrifi„ care in præſenti & illæſi abire, manente apud

ani-

„ animum propoſito, OBSTINATIONEM
„ ſaluti præferamus. Datis ſcilicet conſilium,
„ quo verbis abutamur, ſed agnoſcimus undè ta-
„ lia ſuggerantur &c. [nimirum a Dæmonibus]
„ c. m. 27. p. 26. A. Ita ipſe ad Scap. Ar-
„ rius Antonius in Aſia cum perſequeretur in-
„ ſtanter, omnes illius civitatis Chriſtiani an-
„ te tribunalia ejus ſe obtulerunt. Cum
„ ille, paucis duci juſſis, reliquis ait: O timidi!
„ Si vultis mori, præcipitia & laqueos habetis&c.
„ c. m. 4. p. 71. C. vid. p. 78. Sic quoque Clemens
Alexandr. Strom. l. 4. „ Ut viro pulchrum &
„ honeſtum & pro virtute & pro libertate & pro ſe
„ ipſo mori, ita etiam mulieri. Non enim eſt
„ hoc proprium maſculorum naturæ, ſed bo-
„ norum &c. p. m. 500. D. Et dè ſimilibus no-
„ ſtræ *Dyar.* mulieribus dicit Minutius Felix:
„ Pueri & mulierculæ noſtræ cruces & tormenta,
„ feras & omnes ſuppliciorum terriculas inſpirata
„ patientia doloris illudunt p. m. 10. C. D.
Ideo certe mirum qua fiducia conſcientiaque con-
ſtantiſſimæ huic in veritate divina mulieri autor
Obſtinationis atque *audaciæ* vocabula potuerit
applicare, cum non ſolum inſigne de ea in ſe-
quentibus & haut vulgare edat elogium, ſed &
in manibus habeat ipſi communicatam inter alia
eximiam ſane ejus epiſtolam & ultima morientis
verba, quæ tamen cuncta [ipſe novit quare, &
annon forſan invidioſo animo; aut ut rem non
magni momenti æſtimans] heic apponere præ-
terit, aſt non ita aliorum ibidem eodemque mo-
do eademque cauſa interfectorum.

p. 424. l. 11. *Habet quæque ſecta ſuos marty-
res.* Sed inſigni differentia, ſiquidem longe
alia res eſt, ſolummodo ob conſiderationem di-

K vinam

vinam & ad divinam directionem in ſolius Dei gloriam, abſque ullo habito ſui ipſius reſpectu atque utilitate, imo cum maximo detrimento ſui ſuorumque cariſſimorum, talia, quæ nullo modo contra ullum in ſacris divinum præceptum clarum & manifeſtum pugnant, verum multo magis iiſcum conveniunt, peragere, idque eodem fere modo, quemadmodum primævi abſque omni dubio veri fideles peregêre, ubi & hi Quakeri ipſis in hujusmodi actionibus perſimiles, minime autem propter iſtas, quas autor in ibi ſequentibus invide adferre ſatagit, rationes, quaſque ipſe ullo legitimo indicio probare aut confirmare haut potis?

p. 430. l. 6. *Verum enimvero adhuc mulieres adeo erant duris cervicibus, atque ita obdureſcebant ad novos dolores, ut non ſemel ac ſæpicule ad loca, in quibus talia toleraverant, recurrerent.* Quando quis, quemadmodum hæ mulieres, injuste patitur, & quidem propter ſolius Dei gloriam, Veritatemque a Chriſtianis minime chriſtianis, atque in ſua conſcientia tenetur cum Petro & Joanne *in conſpectu Dei*, *Deo potius quam hominibus, ſeu judicibus ejusmodi, auſcultare.* Act. 4: 19. Quomodo poteſt de hujusmodi hominibus dici, *duris eſſe cervicibus*? Quibus aliiſque ibidem verbis autor quaſi hanc tyrannicam & injuſtiſſimam inhumanamque perſecutionem defendere, inque iſtas ipſas miſellas cauſam referre velle videtur; quam chriſtiane autem; ſi & ipſe in his Chriſtianus, hoc fieri poſſit, judicent Chriſtiani Chriſtum philanthropum chriſtiane ſequentes.

p. 432. l. 25. *In illo tempore hujus novi Belgii prima ac præcipua urbs erat* Neoamſtelodamum. Ho-

Hodierno *Neoeboracum* ſeu *Neobrigantium*, Anglice, **New York**; ſubactis enim per Anglos in hac regione *Belgis*, non longe poſt Tyrannidem ibi crudeliter peractam & in mox ſequentibus deſcriptam, deleta quoque & mutata ſunt in iſtis locis *Belgarum* nomina.

p. 433. l. 13. Ruperti Hodſoni *ea audacia erat, ut aliquibus e ſuis auctor eſſet conveniendi eo fine, ut ſuis precationibus vacarent, non ſecreto, at palam, in hortulum apertum ac conſpicuum.* Quæ autem, amabo, hæc eſt audacia, *eſſe aliquibus e ſuis auctorem conveniendi eo fine, ut ſuis precationibus vacarent, non ſecreto, at palam, in hortulum apertum ac conſpicuum?* Aſt conatus eſt forſan autor horum ſuorum verborum & per conſequens hoc abominabile & execrandum Gubernatoris facinus approbandi vel ſaltem mitigandi rationes oratorie adferre, quando ibidem dicit: *cum in eo* [ſc. Hodſono] *investigando præter Biblia in manu, in ſinu cultrum reperirent.* Sed quid inde? Bibliis certe in manu nemini voluerit aut potuerit nocere. Aſt *culter in ſinu*? ad quid hoc? Autor videtur quoque & hujus rationem reddere velle ibi pergendo: *cumque ea res* [culter ut puto] *ad manus*; quid ergo tum? *ac minimum ad defenſionem, quæ pendet ab offenſione, ſpectare videretur*; Non examinando: quomodo defenſio pendeat ab offenſione? ſufficit bene appoſitum hoc: *videretur.* Sed auctor Latini ſermonis elegantiam magis heic reſpexit, quam veritatem, alioquin pro *ſinu* ponere potuiſſet *ſacculo*, ubi & chartam ſcriptoriam reconditam habebat Hodſonus, quam una cum cultro ipſi adimebat Fiſcalis: verum cultrum in

ſinu gerere, quia id contra uſitatum inter Europæos morem eſt, aliquatenus ad defenſionem ſpectare videtur. Hujus interim cultri in ſinu, ſi etiam hæc res ita ſe habuiſſet, quamplurimæ aliæ potuiſſent eſſe cauſæ, quam quoad ullam defenſionem aut offenſionem, alias Biblia fuiſſent abjicienda, aut loco clypei adhibenda, quorum nullum tamen heic factum, nec ullum in omnibus iſtis, quæ heic ſcripta, vel minimum eſt indicium ſeſe cultro defendendi vel alios offendendi, niſi unicum tantummodo autoris noſtri: *Videretur.* Aſt objiciat forſan aliquis: In antecedentibus quoque & alias ac quidem ibidem lin. 6. has ab autore allatas fuiſſe rationes: *Atqui hæc* [nimirum Quakerorum congreſſus, conventus, & orationes, & preces] *noſtri* [Batavi] *quotiens cautius fierent, non adeo obſervabant, neque vindicabant, ſecus, ubi non ea penes eos modeſtia ac temperantia eſſet, & noſtris metus ab illorum libertate immodica & ſeductione aliorum.* At quæ, quæſo! in his fuit *immodeſtia* & *intemperantia* conveniundi eo fine, ut ſuis precationibus vacarent, non ſecreto at palam in hortulum apertum ac conſpicuum? poteritne ullus ſani judicii hæc etiam ſubtiliſſime accuratiſſimeque perſcrutando & examinando ullam *immodeſtiam intemperantiamque* ex his elicere? Sic eodem modo ſeſe res habet ob *metum a libertate immodica.* Quomodo enim ab ejusmodi hominibus, ſecundum ipſius autoris teſtimonium paſſim in hoc ſuo ſcripto ſincere exhibitum, inermibus, cunctaque & iniquiſſima patienter tantum ferentibus, metus alicui excitari poterit, niſi pavido ejus pectori alias leporina qua-

quaſi inhæreat timiditas? Chriſtus quidem ſingulis ad præcandum aſſignat conclave clauſo oſtio Matth. 6: 6. Pluribus tamen eo non prohibet convenire in publico vel in horto, cum & ipſe ſæpe ad orandum hortum ſibi elegerit. Joan. 18: 1, 2. Et quare non etiam, uti in aliis, ita etiam in his, ſi opportunitas ſe offert, imitatores ſui? Quid nocumenti poterunt adferre ejusmodi preces piis & devotis verbis ad Deum? De Turcis narratur, quod ſi quis cujuscunque religionis vel in plateis ipſis flexis in terram genubus oret, & eques etiam eum turbare evitet; an verum hoc autori forſan noſtro, qui olim inter Turcas vixit, notum, ne modo & quoad hanc hiſtoriam enorme hoc & Turcicum Gubernatoris factum extenuando aliquid Turcici retinuerit. Reſtat autem & alius adhuc metus, nimirum: *A ſeductione aliorum*; An autem autor hunc *ab aliorum ſeductione metum*, abſque exiſtimatione præſumta, affectibus, ſtudio partium proponere potuerit, neque ipſe neque ego, quoniam inter nos hujus rei diſcrimen abſque judice utrique ſufficienti viſibili verſatur, judicaturus, dependetque interim a cujusvis Lectoris judicio, donec manifeſtum aliquando fiat judicium iſtius, qui, uti in omnibus, ita & in his certo & juſtiſſime judicabit. Horrendam autem iſtam ab *Hodſonio* ibidem perpeſſam crudelitatem non poſſum non ad declarandum, quæ hactenus dicta, ipſius autoris verbis heic exhibere: „ Hodſo-
„ num comprehenſum ac conſtrictum manibus
„ ducunt Neoamſtelodamum ad Gubernato-
„ rem. Is hominem, ut contemptorem le-
„ gum ac perturbatorem pacis in locum tene-
 broſum,

„ broſum, & ſqualore as ſordibus plenum ju-
„ bet conjici, paulo poſt &c. ſic damnat,
„ ut aut multam ſexcentorum florenorum pen-
„ dat, aut ſarraco, idque catenatus, conjun-
„ ctuſque cum ſervulo barbaro biennium refi-
„ cientibus mœnibus urbis operetur. Ad quam
„ operam productus cum eam detrectaret, eum
„ bene lacertoſus & acer ſervus ex illa barbara
„ & immani gente (negros appellant) fune pi-
„ cato ad quinquaginta ictibus excipit, & cum
„ neque ſic ſe applicaret ad opus, ille ictus con-
„ geminat & adeo valide, ut is pedibus non
„ conſiſteret. Et quoniam omni tempore im-
„ peratum facere recuſabat, poſtremum juſſu
„ gubernatoris traditus ad hoc ſupplicium: Illi
„ hominem denudatum a media parte corporis
„ ſuſpendunt manibus, appenduntque ad pedes
„ lignum ingens & quam acerbiſſime feriunt fla-
„ gellis, atque a tribunali abjiciunt in eundem car-
„ cerem. Idem fit biduo poſt, quibus plagis ho-
„ mo miſer ita affectus fuit, ut diu ſine ſenſu,
„ ac pœne ſine mente, jaceret. Putetne pius
Lector, etiam inter Chriſtianos & quidem inter
eos, qui puriorem prætendunt religionis cultum &
ideo Reformati dicti, contemnentes & condem-
nantes perſecutionem Papiſtarum propter reli-
gionem, id eſt, conſcientiæ libertatem, ad ge-
hennam, tam inhumanos, tamque feros inve-
niri poſſe homines? & quidem non è vulgo, ſed
ex proceribus, quibus regimen tantæ urbis, tantæ-
que provinciæ concreditum: Sed id quod multo
magis & merito admirandum, autorem quoque
noſtrum ita eſſe perſuaſum, ut non ſolum hoc
immane, deteſtabile & horrendum facinus non
abhorruerit adducere, ſed inſuper quaſi rem be-

ne

ne geſtam exhibere; Sed finis hujus crudelitatis deſcribitur ibidem porro: „ Utque vix ſpes re-
„ convaleſcendi reliqua fuiſſet, ſi non mulier An-
„ glicana, adducta pio dolore & miſericordia,
„ ſuis medicamentis delibutum & deligatum
„ faſciis, vitæ reſtituiſſet. Ad poſtremum ſo-
„ ror gubernatoris ſic pro homine diſputat apud
„ fratrem, ut illum ex hac calamitoſa ſolitudi-
„ ne dimitteret ad ſuos.

p. 435. l. 14. *Filius erat alicujus Eccleſiaſtæ Anglicani, adulta ætate & moribus honeſtiſſimis. Is cum ſæpe cum comite* [Mordæa, quæ nobilis & illuſtris fæmina e Puritana facta Quakera, uti autor ait ibid. l. 3.] *de religione ſermones miſcebat, hæc eum in ſuum quoque conventum ac concionem invitat, ſaltem ut ſemel accederet* [quomodo poterat hæc comes hæc facere & invitare hunc, ne etiam *Belgis eſſet metus ab illius libertate immodica, aut ad minimum a ſeductione eccleſiaſtæ hujus filii*, & eacum poſtmodum tam crudeliter ageretur, uti actum fuerat cum *Hodſonio*, qui ne alios quidem invitabat, ſed ſolummodo ſuis erat autor conveniundi & tantummodo ad præcationes? Ideo hæc invitatio dubiæ fidei.] *Ille reſpondet iterum atque iterum, (namque illa inſtabat)* [Certe vix eſt Quakerorum mos vel ullum invitare, nullatenus autem inſtare. Quibus non video, quomodo Belgis iſtis non metus eſſe potuerit ab illius libertate immodica & metus a ſeductione eccleſiaſtæ iſtius filii, comiti autem metus a crudelitate ſimili *Hodſonio* inflicta, qui alios tamen nec invitabat, nec inſtabat] *Velle ſe in omni re alia ipſi obtemperare, ac hac in re morem gerere non poſſe. Cum juvenis animo obſtinato perſeveraret & illi fœminæ quanto magis in ea re*

 per-

perſtitiſſet, tanto majorem dolorem fruſtratio attuliſſet; [Hæc, ignoſcat mihi autor & venerandus ejus teſtis, haut ſunt credibilia, neceſſe itaque fuiſſet iſti juveni talia incredibilia narranti, ut vel in ſcriptis a comite iſta habuiſſet, vel ipſe teſtis hæc ex ipſa audiviſſet] *ille ſua ſponte infit, quod ejus precibus neque volebat neque poterat. Videtur ſibi quadam nocte in ſomno multa audire ac cernere de Quakeris, & cum evigilaret, cum nil rebatur eſſe, quod errorem ſenſibus offerret, audit tanquam vocem, iret, adiretque cœtum illorum hominum, de quibus dormienti tot ſpecies erant factæ. Ille comprobato ſomnio & oraculo, die inſequente accedit ad concilium Quakerorum, cui dum intereſt ita ſermonibus illorum afficitur, ut vix ſuus eſſet. Itaque ut huc remearet ſuus exinde animus aſſidue ſtimulat. Verum ubi, antequam id ageret, rem cum ſuis communicat amicis, illi pluvimis verbis deterrent, quorum dictis cum eſſet audiens, at cum ab alia parte nunquam ex animo decederet illius nocturnæ rei imago, atque illa non commentitia fictaque ac facta vox, eum continuo agitaret, ille ex multa magnaque contentione mentis, neſciæ quo ſe verteret, incidit in morbum gravem ac lethalem, e quo reſtitutus non ſolum ſe totum ab iis hominibus abalienavit, at etiam illud, quod ipſi venerat ab iis hominibus* [ſed non dicit, quid ipſi evenerat; nec poteſt quidquam ex toto hoc ſermone colligi, quam quod ſupra dixit, *ſermonibus ipſorum ita fuiſſe affectum, ut vix ſuus eſſet.* Cujus haut abſimile etiam aliis accidit, uti in præcedentibus habuimus, & quidem præconibus inter alios, Fiſhero, Coughено, & huic a Virgine concionante. Quæ autem ejus ſomnia, vocem &c. concernunt, non putan-
dum

dum puto, ea a Quakeris eſſe peracta, ideo ipſum inique egiſſe quando] *interpretabatur ut incantamentum, & diabolum inter eos homines dicebat operari.* [Riſum teneatis amici. Eſt ne hoc heic hoc in re tam invincibile veritatis argumentum, nimirum: Hic juvenis hoc dixit, ideo quia hoc dixit, hoc quod dixit eſt verum? Nam præter hoc dixit nulla alia ratio in his dictis oſtendi poteſt; non ubique nec ab omnibus valet iſtud Pythagoricum αὐτὸς ἔφα. Præterea Diaboli nunc conditio valde excellit, quodcunque enim iſtiusmodi hominibus accidit, vel vigilando vel ſomniando, cujus cauſam & originem ignorant, nec cognoſcere idonei ſunt, diabolum faciunt autorem, & pro incantamento interpretantur, cum nec quid diabolus, quid incantamentum ſit, ſatis ſciant. Sed & alia adeſt hujus, ut autor, aſt falſe, putat, ratio, pergit enim:] *Hujus rei teſtem habeo virum venerandum, ea memoria in illo ipſo tractu, at nunc etiamnum in noſtra patria verbi divini miniſtrum fideliſſimum, cui juvenis hæc ſæpe ſolebat narrare.* Mirum quare autor voluerit adducere ad confirmandum hanc hiſtoriolam, niſi potius fabulam, tanquam hujus rei teſtem virum ſuum venerandum, cum ipſe nil aliud, tanquam teſtis, deponere habeat, quam quod juvenis ipſi hæc ſæpe ſolebat narrare, cum autem inter hoc *ſolebat narrare*, & iſtud *dicebat* heic nulla ſit differentia, hoc *dicebat* autem nullius eſſe momenti in antecedentibus ſit demonſtratum, ita ejuſdem pulveris erit etiam hoc *ſolebat narrare*. Præterea ſi vel coram judice mundano agendum hoc in puncto contra Quakeros ab autore, cogitetne hic ipſum

ſuum virum in his pro teſte legitimo admitti poſſe? ut qui eſt ejuſdem ordinis, & eodem contra Quakeros animo, ut ipſe autor in his & ſimilibus, & fortaſſis in aliis hoc eorum concionandi munus non concernentibus, non tam ſincerus & candidus, quam eſt ipſe autor, atque ideo & merito quoad hæc laude dignus: Aſt ſi hic vir tale quidpiam audiviſſet ibidem, vel ex ipſa comite vel aliis alicujus notæ ſingularis hominibus, tunc hiſtoriolæ huic ab eo narratæ autori fides quodammodo melius haberi poſſit; interim nullatenus in dubium vocatur iſtum juvenem huic viro hæc narraſſe. Aut ſi commode ipſe aut alius, potuiſſent, demonſtrare, unde juvenis iſte vere & perfecte potuerit ſcire, aut quale infallibile indicium habuerit, illud, quod ipſi evenerat, ab iis hominibus fuiſſe factum, & qua ratione ipſe potuerit hæc interpretari ut incantamentum, & dicere diabolum inter eos homines operari, tunc aliquid, licet tamen exiguum, hac in re præſtitiſſent, præprimis quoniam in toto hoc ſcripto hiſce quidpiam ſimile, quod mihi notum, non inveniatur; & ipſe noſter autor, ut vir in aliis ſic & in hiſce, ut ſpero, prudens & circumſpectus, bene novit, quod tale dicere, præcipue calumniandi modo & a juvene quodam, uti heic, fit, nihil quicquam valeat aut probet, cum ipſemet noluerit verba Foxi, viri primis annis & ſemper pii & devoti in divinis rebus, ad Dei gloriam & proximi emolumentum, admittere propter unicam rationem, quia ipſe *auctor*, *nuntius* & *teſtis*. pag. 29. l. 21. Ideo vel ob unicam hanc rationem multo minus hujus juvenis contumelioſæ & ignominioſæ relationes in proximum,

ximum, videat an non & in ipſum Deum? ſunt admittendæ. hæcque ratio ipſis eo magis accommodanda, ſimulatque toti huic narratiunculæ Polonorum iſtud non male convenit: *Si non eſt verum, eſt tamen pulchra phantaſia.*

p. 437. l. pen. *Marilandia* adjacet quidem Virginiæ, ſed eſt provintia ſeparata.

p. 438. l. 28. Penſylvaniæ *proprietas atque dominium, vacua morte Guilielmi Penni, a quo & nomen illud iſtius regionis poſſeſſivum, tranſierunt ad filium illius &c.* Errores autoris in hiſce antea in not. ad pag. 285. lin. 2. ſunt emendati, ut & quoad nomen hujus provintiæ.

p. 440. lin. 14. *Et enim &c. adhuc ſolum ſum recitator &c. earum rerum omnium, quas hucuſque dixi.* Oblitus eſt autor præteritarum hiſce ſuis verbis contrariarum & paſſim in hoc ſcripto notatarum, ubi certe non ut recitator, ſolum, ſed ſæpius ut judex & ſeverus & iniquus fuit.

Ib. l. 17. *Non poſſum hoc loco præterire, quod illi* [Quakeri] *libertatem hanc appellant Chriſtianam, cum eam extendunt ad omnes mortales, qui modo unum agnoſcunt Deum &c.* Chriſtiana hæc vocatur libertas ob præceptum Chriſti generale & ſummum quando Matth. 7. 13. præcipit: *Quæcunque volueritis, ut faciant vobis homines, ita & vos facite iis, iſta enim eſt lex & Prophetæ*; Non autem ea intentione, quam autor ipſe iis ibidem in ſequentibus affingendo apponit de ſuo.

p. 441. l. 27. *Si non quandoque terra tota* [Penſylvania] *omnibuſque bene ornatis, quiſpiam legum agrariarum peritus & callidus inter-*

ter-

terveniat & rite erciſcunda poſſeſſione, quam ſuam putet eſſe portionem auferat. Speramus meliora & hanc divinationem in vanum abituram; non enim heic eſt timendus non harum ſolum, ſed etiam ſimilium legum omnium peritiſſimus, imo nec potentiſſimus, modo honeſtus, juſtus & bonus, neque calliditas abſque vi & violentia metum incutere valet; nam Guilielmus Pennus non ſolum titulo optimo in puncto debiti liquidi a Rege Carolo II, qui hanc ſibi terram lege Regia attribuerat, validiſſimis vinculis more Anglico accepit, ſed & de novo poſtmodum ab ipſis ibidem naturalibus incolis titulo emtionis & venditionis, juſtiſſime, ſi quid tale unquam juſtum vocari meretur, acquiſivit. Qua de re etiam actum ſupra in not. ad pag. 285. l. 2.

P. 442. l. 11. *Unde & erant, de quibus vix poterat dubitari, quin ſolum commodi ac emolumenti gratia, ſimulata profeſſione, fictoque officio ad Quakeros accederent.* Ex his apparet Quakerorum conditionem & ſtatum autori adhuc parum eſſe notum; nam penes eos non eſt, uti penes alios in quocumque fere confeſſionum genere, ut quaſi accedentes pecunia & aliis incitamentis alliciant, aut ut quicquam inde majoris emolumenti in externis & mundanis ipſis propter religionis externum habitum ſit expectandum; ſed quod ſummum inter iſtos eſt interna in luce & ſpiritu divino communio & unitas, & externe ſuſcipere crucem contumeliarum, injuriarum, miſeriarum, aliarumque rerum carni & ſanguini moleſtiſſimarum, & contrariarum; ideo impoſſibile, ut aliquis ſimulando

lando & diſſimulando diu inter Quakeros lateat, quin ſemet ipſum prodat.

p. Ib. 442. l. 26. *Hi viri* [Quakeri] *graves & conſtantes*, *ſua inter nomina indeclinabilia profitentes*, *id cupidiſſime inter homines petere*, *quod ſemper pertinaciter contempſerant*, *& loca ac ſubſellia in curia & tribunalia affectare &c.* Hæc autori non ſatis nota, alias tam male & ſcoptice hi Quakeri in his producti haut fuiſſent, quaſi unquam detrectaſſent etiam quoad ſtatum politicum officia publica, quæ illæſa conſcientia præſtari poſſunt, ſubire; cum ſtatim ab initio in Anglia munia ſingularis ſervitii ad pacem & quietem ſpectantis, magnæque ergo ibi autoritatis, cujus adminiſtratores Anglice: **Conſtables**; vocantur, non recuſaverint, & ipſe antea autor mentionem faciat pag. 431. cujuſdam Gubernatoris in Inſula Rhodo, novæ Angliæ, qui ex illis fuit; hic quondam in quodam bello cruento & pro Anglis difficili, ni fallor circa annum 1659. inter iſtos Anglos & iſtos, quibus olim hæ terræ patria, peracto, utrique parti dilectus ſeſe interponendo, & nativos, uti communiter vocantur, adeundo, eoſque perſuadendo pacem Anglis reſtituit, plurima quoque egregia alia præſtitit. Nullatenus tamen hi ullibi talia munera *cupidiſſime petebant*, neque *hæc loca & ſubſellia affectabant*, ſed ob neceſſitatem ingentem, cumprimis in Pennſylvania coacti quaſi & compulſi ejusmodi muneribus fungi, & ita juſtitiam adminiſtrare, & quidem non eo modo, uti autor ibidem propoſuit, & ſi quid non ad cujuslibet beneplacitum, ſciendum impoſſibile eſſe, etiam juſtiſſimum judicem utrique parti litigantium

tium ſatisfacere poſſe, & multo minus malos puniendo.

p. 443. l. 8. *Etiam juratos arceſſere cognitores atque teſtes, certe qui ejusmodi aſſertione uterentur, quæ a juramento non differt, nempe formula hac*: dico ac promitto in præſentia Dei, *vel* tam vere quam Deus in cœlo eſt, *quod minimum haut minus quam juramentum olim a populo Dei Judæis uſurpatum*, vivit Deus.] Cum in rebus mundanis inprimis loco judiciorum inter homines requiratur rerum actarum & occurrentium neceſſaria aſſertio & confirmatio, judiceſque homines ſint non Deus, ut occulta & ſæpe cordis tantum ſcire queant, imo quamvis perfecte rem ſciant, prohibitum tamen, ne quis ſimul & teſtis & Judex ſit, in tali enim caſu, unius, oportet, officium relinquat, ideo quo iſta, quæ nude proferuntur, certa fiant judicibus partibuſque, variaque ſint genera hominum in Pennſylvania quoad Religionem & externum vivendi modum, inter quos plurimi, ex quibus in publicis ejusmodi teſtimoniis abſque mentione divini nominis, cujus reſpectu ſæpe conſcientia alicujus movetur, vix veritas rei elici poſſit, ideo ejusmodi formulæ in uſum vocatæ, ſaltem ad confirmationem rerum, non ut juramentum inprimis more Anglico, de quo noſter hiſtoriographus p. 366. Quantum autem differant hæ formulæ aſſerendi a Formulis jurandi eſt per ſe manifeſtum, nec hujus loci diſputandi aut defendendi dare occaſionem.

Ib. l. 15. *Tales quoque, qui munus miniſterii ſacri Euangelii in Eccleſiis obibant &c. rempublicam ac dicundi juris poteſtatem capeſſere &c.*

&c. & ſe in ſuis officiis judicialibus accommodare ad inſtituta & conſuetudinem reliquorum. Autor in his loquitur ſecundum differentiam hominum falſam & exortam in Apoſtaſia inter *Clericos* & *Laicos*, de qua ſupra in not. ad pag. 17. l. 8. prolixius; Ac ſi his Laicis ſolummodo competat civilia adminiſtrare, Clericis autem ita divina, quaſi vero Remp. bene adminiſtrare non etiam ſit aliquid divinum, & non habeamus tot exempla in V. F. tam ante Regum, quorum primum Deus in ira dedit, regimina, quam poſtea a Sacerdote & Sacerdotibus Judæorum, ut divinum, regimen fuiſſe adminiſtratum, in eoque mundana judicia. Rejecta ergo vana iſta inter Clericos & Laicos diſtinctione, ut quæ ad imitationem Rerump. inter ethnicos conficta non a Deo conſtituta, & qui nunc unice uno eodem modo & reſpectu ubivis tam in choro quam in foro, ut dicitur, venerandus & timendus, nulla remanebit difficultas; quin non & iſti, qui hodie Euangelium prædicant, uti olim David legem & Prophetias, etiam Reip. inſervire queant, modo idonei ad utrumque.

Ib. l. 24. *Præter hæc multi ex univerſitate Quakerorum reperiebantur, tum mares, tum fœminæ, qui ſibi munus concionatorium aſciſcebant, idemque exercebant, nulla aut nequaquam idonea teſtatione inſtructi, ita ipſi ſe inferentes & intrudentes, neque ſuæ habilitatis, neque vitæ ſatis aptum indicium præbentes.* Quia in hiſce neque marium neque fœminarum adſunt nomina, incerta relinquitur hæc propoſitio, præprimis cum uti ubivis ita quoque in hac autor videtur ſuo præjudicio laborare,

re, ac ſi *idonea teſtatione opus ſit* ad munus concionandi exercendum, & forſan hiſce præ-via, ut apud ſuos, tentamina & examina intelligit, quorum inter hos omnino nulla; interim non negatur, inſignem eſſe inter hos Quakerorum differentiam, ſecundum divinam & differentem gratiam, qua non ſolum viri viros, ſed etiam fœminæ horum nonnullos longe antecedunt, cuilibet tamen ſuum manet, etiamſi differens, divinum donum; & ſerio cavendum, ne nimis hac in re ſcrupuloſis exprobret etiam eodem modo Servatoris noſtri ſententia, uti Joanni exprobrans etiam ſic querulo, abſque dubio ex animi ſinceritate, dicenti: *Magiſter! Videmus quendam ſub nomine tuo ejicientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non ſequitur nobiſcum. Et dixit ei Jeſus: Ne prohibete illum, qui enim non eſt adverſum nos, pro nobis eſt*. Luc. 9: 49, 50. Neque his inter hos, ut autor vult, concionantibus opus ejusmodi teſtationibus, nam ſi quis aut quæ in publico loqui audeat, ſit autem vel inhabilis vel quadam vitæ macula, modeſtis verbis etiam publice ratione circumſtantiarum ab aliis indicatur, ſæpeque tales corripiuntur.

p. 444. p. 15. *Et ſcire licet* &c. *miſſum à rege Britanniarum* Guilielmo, *extra ordinem, gubernatorem addictum ecclesiæ Anglicanæ* &c. [nimirum in Pennſylvaniam.] Ita tum fuit, ſed iterum revocatus iſte Gubernator, Pennoque ita plene ſua ex pactis regiis privilegiiſque reſtituta Gubernatio.

Ib. lin. ult. *Si non inſignem maximeque memorabilem caſum* &c. *referam* &c. *quo ad huc dum qui exitus futurus ſit incertum.* Non

am-

amplius hunc incertum, nam contra dubiam hanc præſumptionem magnæ futuræ diffidentiæ & diſtractionis difficultas hæc Londini in conventu generali ſublata.

p. 445. l. 21. [Keithus] *fungens una munere concionatorio in maximam partem inſcia ac temeraria turba concionatorum; ut lumen clariſſimum & ſplendor totius ordinis excellit.* Habet & ſua dona Keithus, habent & reliqui ſua, quamvis non mundano modo ſint docti, non tamen ideo faciunt inſciam ac temerariam turbam. Nec forſan ipſi & notiſſimæ Keithi modeſtiæ ejusmodi ſeparatio & exiſtimatio æque grata.

p. 448. *l. 6. Keithus cum ſuis uſque eo pergebant, atque ita ſe in lite hac præbebant, ut affirmarent, ſe in conſcientia convictos eſſe, Deum vocare ipſos, uti ſe ab ejusmodi infidelibus ſegregarent.* Variæ hujus difficultatis vulgatæ relationes, & quantum heic notum, videtur Keithum negaſſe a ſe initium ſeparationis factum, attamen quomodocunque ſeſe habuerit iſta actio, quæque ab auctore noſtro non adeo abſque partium ſtudio enarratur, & ut hoc notetur, non operæ pretium videtur, tandem Londini in congregatione generali illa decıſa & determinata; ita ut hac de re plura addere non lubeat, præterea non dubitans, quin talia, quæ in hac hiſtoria de Keitho dicuntur, cum iſte ipſam perlegerit, illum unum vel alterum aliter demonſtraturum. Interim optandum utrique parti unionis & amicitiæ vinculum magis cordi fuiſſe.

Ib. l. 22. *Quod attinet ad Chriſti naturam*

humanam ſtatuebant quidam &c. Per quæſtiones forſan dilucidandi non confirmandi gratia hæc, quæ ibidem proferuntur, innocenter propoſita; aut ſi qui abſurda quocunque modo ſtatuerint, habeant ſibi, reliquos hæc non concernunt.

Ib. l. 22. *Hæc dogmata Keithus in horum hominum ſermonibus ac concionibus notabat reprehendebatque.* An unquam ejusmodi dogmata fuerint propoſita penes nos incertum, ſi autem ſit, certum hoc, ipſe vero Keithus abſque animi ſervore ſed fraterna dilectione & patientia aberrantes admonuiſſet, optimum fuiſſet, aſt contrarium plerique volunt.

p. 450. l. 18. *Peragebantur ſex ſeſſiones ſive actus, in quibus nec dum finire certamen poterant tot doctores, præditi & docti & ducti Spiritu Sancto ipſo, proxime, ut illi vocant, immediate, tenentes altiſſimum locum inter Chriſtianos.* Capere vix quis poteſt, quomodo poſſibile ſit, quod hic vir in ejusmodi rebus ſeriis & ipſe alias ut Theologus inter ſuos ſerius, tam ludicris & vanis voculis per ſarcaſmum quendam ſe delectare poſſit, cum ipſi non poſſit non eſſe notum, quod illi, qui omnino & irrefragabili veritate tradunt, Spiritu Sancto homines debere duci & eſſe doctos præditoſque, ideo non ſtatim ſequi eos ipſos eſſe, & quidem ſemper eo doctos, ductos & præditos; & multo minus tenentes altiſſimum locum inter Chriſtianos, qualis tamen nunquam ulla Quakerorum præſumptio, & non niſi de ipſis conficta; ideo quo ani-

animo hæc expreſſa ab autore; novit ipſe, qui omnia novit & omnibus juſta retribuet.

p. 451. l. 3 *Keithus cum ſuis, etſi vir ſatis cerebroſus & præceps* &c. Nunc etiam ex parte Keithi videt autor cauſam diſſenſionis hujus deplorandæ. Sed quid inde?

Ib. l. 8. *Ut juſta* [Keithus] *ira effectuſque juſtitiæ eſſet* &c. Invehi verbis in adverſarios, qui olim fratres, amici, unius ejuſdemque fidei confeſſionis fuere, & hæc vocare, vel ex quacunque cauſa; *juſtam iram, effectumque juſtitiæ*; eſt res difficilis, præſertim ſecundum Pauli præceptum. Rom. 12. 18. 19. *Si fieri poteſt, quantum in vobis eſt cum omnibus hominibus in pace viventes. Non ipſi voſmet ulciſcentes, dilecti: ſed date locum iræ: Scriptum eſt enim: Meum eſt ulciſci, ego rependam dicit Dominus.*

p. 452. l. 11. *Neque heic totus Senatus entheatus hos duos viros poterat reconciliare.* Sic jocari quaſi placuit autori in rebus deploratione dignis & gaudere ob animorum diſſidia; cum Deus ſit autor concordiæ eorum, eademque delectetur. Et quis unquam ex his hominibus auſus eſt cogitare & multo minus vocare hanc ſuorum congregationem Senatum; nec unquam, ut ſemper loquendo moderatiſſimi, entheatum?

p. 458. l. 26. *Keitho exciderat calore ac impetu repentino animi & linguæ velocitate, quæ ſæpe dominantur in diſputationibus.* Dolendum quam maxime huic alias certe Viro egregio ejusmodi præcipitantiam, in hac contro-

verſia præprimis, multum negotii faceſſiſſe, utpote quam non minimam diſſenſionis & turbationis hujus cauſam nonnulli volunt.

p. 466. l. 27. *Quippe brevi exorti inter Quakeros ipſos, qui ipſi ita ſe huic diſſidio immiſcuere, quiſque ſuas ſequendo partes, atque ita alii alios, odiis, ignominiis, convitiis fuere inſecuti.* Autori puto hæc ita fuiſſe relata, aſt male, nam certum quod etiamſi unus vel alter in Anglia a parte Keithi ſteterit, perpauci tamen iſti fuere, abſque tamen ab utraque parte ejusmodi odiis, ignominiis, conviciis, longe enim alio modo ſeſe res habuere in Anglia quam in Pennſylvania, uti relatum fuit.

p. 468. l. 18. *Jam & Londini & alibi & paſſim, in Anglia reperiebantur inter Quakeros, qui ſe quoque hac diſputatione detinebant & interveniente acrimonia &c.* Fuiſſe quidem hinc inde unum vel alterum tali in re non negandum, aſt eorum tamen perpaucos, nec tali acrimonia &c. uti autori forſan indicatum & heic ab ipſo appoſitum.

p. 469. l. 22. *Ut etiam creverit diſſidium*, &c. Fuit enim inter partes inſignis differentia, nam a parte Keithi quidem pauci; a parte autem altera, ſepoſitis hiſce paucis, tota fere congregatio.

p. 474. l. 16. *Poterant Pennus & Withadus tam parum ſuis temperare animis ac linguis, &c.* Si autori noſtro hi ambo viri eſſent tam noti, uti aliis, accideret infallibiliter ipſi, quod his accidit, nimirum hæc, quæ de ipſis heic dicuntur

cuntur, pro falſis habenda, quicunque etiam ſit primus horum verborum inventor.

Ib. l. 24. *Narrabat Keithus* &c. Non dicendum, autori noſtro ejusmodi non fuiſſe communicata, aſt an in his ea omnia ita ſe habeant, eſt alia quæſtio; nam ſæpe adverſarii, uti heic Keithus, ſi unquam tale quidpiam narraverit, ſint tam probi, tam honeſti, ut velint, vix tamen tantæ in omnibus fidei, quin aliis omnem dubitandi anſam adimere poſſint.

p. 476. l. ult. *Sane non ſine magno ipſorum probro, utpote eos, e quibus exceſſerant, ſemper tantopere incuſantium hujus rei & ſuis ſeveris dictis inſectantium.* Etiamſi haut denegandum ſit diſſidium hoc multis tam benevolis quam malevolis, præprimis iis, qui vel partium ſtudio dediti, vel quibus harum rerum cognitio non ſatis cognita, occaſionem dediſſe, probroſæ cujuſdam objectationis, totique quaſi congregationi imputandæ; attamen hujus probri cauſam ſolummodo majori iſtius concilii parti attribuere velle, uti autor heic ſevero modo agere videtur, eſt res magni momenti & vel ipſi autori difficilis; tot enim tantique viri iſti concilio interfuere, quorum vitam & doctrinam vel ipſa contraria pars, ſemota hac controverſia, non debet non commendare.

p. 483. l. 9. Joh. Stubſius & Henricus Fellus *in animo habebant*, *&c. proficiſci uſque in* Chinam &c. *Quum vero ſcirent, quam eo difficilis &c. eſſet aditus, præſertim ſibi hominibus, qui quacunque incederent, ut deridiculum*

 &

& odium terræ inambulabant. Sicut optime Athenagoras Legat. pro Chriſt. ſuo, ita nos noſtro tempore dicere audemus: „ Ut Virtus „ Pythagoræ, Democriti, Heracliti & Socra- „ tis nihil eſt imminuta propter exiſtimationem „ vulgi, ſic etiam nobis temerariæ quorun- „ dam calumniæ ſanctioris vitæ inſtitutum non „ obſcurant, neque per eas gloriæ noſtræ co- „ ram Deo aliquid decedit. p. m. 35. B. Et bene Clemens Alex. Strom. lib. 7. „ Cu- „ jus eſt inſtitutum, ut placeat hominibus, is „ Deo placere non poteſt, quoniam non quæ „ conferunt, ſed quæ delectant, multi eligunt. „ Qui autem Deo placet bonis hominibus per conſequentiam fit gratus & acceptus. p. m. 741. D. 742. A.

p. 691. l. 7. *Qui plerique* Mennonitæ *audax genus hominum.* Forſitan minima horum pars.

p. 513. l 12. *&c. Oſtendam quæ Quakerorum &c. & Labadiſtarum &c. fuerit convenientia in doctrina, quæ inſtitutio ad unum idemque opus, ac poſtremum quod propoſitum ad conjungendas amicitias &c.* Convenientia in doctrina Quakerorum & Labadiſtarum autoris noſtri conſiſtit in exprobratione corruptionis eccleſiarum Proteſtantium, vel potius ſolummodo Reformatorum Cum autem & idem dicant & doceant Papiſtæ, Lutherani, Mennonitæ. Ergone hoc & horum inter ſe, & cum Quakeris poteſt nominari convenientia in doctrina? Eodem modo etiam eſt comparatum cum cæteris.

p. 518. l. 2. *Pennus rogat, liceat ſibi habere con-*

concionem coram Principe [nimirum Principis Arauſionenſis Gubernatoris Friſiæ matre.] Si autori Pennus ſit familiarius paululum notus, vel ullius Quakerorum animus, ſine horum meorum verborum indicio certo ſciret hæc, a cujuscunque etiam relatione originem ducant, eſſe perquam falſa; nam talia tali modo rogare eſſet certo inter hos homines inſigne abſurdum; ſed dicam, quid forſan falſi hujus heic commiſſi potuerit præbere anſam: Non ita procul a LEWARDEN fuit locus ubi Quakeri etiam ſuas obſervabant congregationes, & ubi Pennus tunc temporis publice loquuturus, id quod forſan ipſe iſti Principi indicaverit. Sic exigua quædam circumſtantia inſignem efficit differentiam, & hac non rite obſervata vel innocenter quis errores committere cogitur, inprimis ubi exiſtimatio præſumpta, affectus, ſtudium partium tam penes eum, qui refert, quam cui id refertur, vigent & valent.

p. 519. l. 13. *Quakeri ſtant coram magiſtratu capite tecto, ac ne quidem admoniti illud detegunt, non ſuperbia aut dedignatione ac contemptu ſed more & aſſuetudine gentis, & quod ejusmodi honorem hominibus indebitum putarent.* Non certe ob morem & aſſuetudinem hoc fieri ipſi autori notum, ſed ob longe alias & graviores rationes, nam in ejuſmodi rebus morem, uſum, & conſuetudinem oderunt angue & cane pejus.

p. 521. l. 1. *Quakeri conſtitere pileati ſui inſtituti tenendi cauſa.* Hæc in omnibus

 cum

cum præcedentibus ad pag. 519. l. 13. conveniunt.

Ib. l. 14. *In eaque diſputatione Quakeri ad poſtremum, ſe adeo impatienter gerere, ut in verbi divini præcones & adminiſtros inveherentur, & illorum examen inquiſitionem Hiſpanicam & illos miniſtres mercenarios appellarent, & idcirco cum iis nil ſibi negotii eſſe clamarent.* Forſan verius dixiſſet autor: dicerent; & ſic lenior aliorum heic verborum expreſſio non fuiſſet incongrua; atque inde actio Quakerorum hæc, ut non abſque æquitate & veritate, non tam abſurda, quemadmodum nunc primo intuitu eſſe videtur.

Ib. l. 20. *Qua immoderatione magiſtratus laceſſitus iterum ſub eadem pœna, eos convenire vetat &c. Verum & hæc tanta comminatio eos tam parum perculit, ut ex ipſo loco ac veſtigio iterum ſuos cœtus agitarent.* Nolo heic prolixe repetere, etiamſi cum hoc loco maxime ſit conveniens, quæ ex Act. 6: 18, 19, 20. de magiſtratu Judæorum & de Petro & Joanne ut & cap. 5: 27, 28, 29. de Petro & Apoſtolis ſcripta dicentibus: *Deo magis eſſe obediendum quam hominibus.*

p. 522. l. 19. *Sic magiſtratus invitus ac præter naturam & conſuetudinem, acerbius in hos homines agere, tantum ut aliis contumacibus ac paratis ad prava facinora exemplo eſſent &c. illi ejecti &c.* Si & in hac actione regula iſta obtinuiſſet locum: *Duo quod faciunt idem ſæpe non eſt idem*; neque Quakeri ejusmodi contumacibus ac paratis ad prava facinora exemplo eſſe potuiſſent, neque poſtea fuiſſent ejecti

ejecti, neque tam duriſſimæ in ſequentibus perſecutioni ſubjecti. Quæ enim fine differunt, in immenſum differunt, nam Quakerorum unicum propoſitum erat *obedire Deo magis quam hominibus*, & quidem in ejus gloriam & ſuum aliorumque æternum emolumentum; hoc autem non eſt vere contumacium hominum ac paratorum ad facinora prava; id quod tandem Magiſtratus ipſe conſiderans per experientiam edoctus, maxime in his mutatus poſtmodum animo, vel ut autor ipſe hæc hiſce exhibet verbis, pag. 528. lin. 10. *Ex-in odium paulatim miteſcere ac ſeneſcere cœpit, cognito perſpectoque Quakeros eos non eſſe, quos magiſtratus ac cives eſſe exiſtimaverant. Mirum, neque tamen novum & inſolitum. Quakeros opulentos profugos ex Anglia huc Emdenam confugientes Senatus non jam repellebat, at libentiſſime accipiebat, & non ſolum domos, ſed & uſum religionis, & aditum ad eam & templum publicum concedebat, & quidem fundum in ædificando offerebat &c.* Sed in hiſce verbis quædam neceſſario emendanda veniunt, nimirum nullos unquam ex Anglia Quakeros profugos Emdam confugiſſe, neque ea a Senatu oblata, verum uni vel alteri Quakerorum ibidem adhuc habitanti fuit per unum vel alterum honeſtum virum inſinuatum, rebus ſic ſtantibus, ſcribant in Angliam, quod ſi quidam ex Quakeris ibi ſint, quorum animus domicilium hanc in urbem transferendi & inhabitandi, libere & intrepide adveniant, in omnibus & cumprimis religione ſummam ipſis libertatem futuram, tantamque, ut ſi ſingula-

 rem

rem ad eorum congregationem ſibi ædificare velint domum, certe permitteretur, qua libertate etiam hucuſque ex iis alii ibidem habitantes ſecure freti. Plura autoris ibidem loco citato lectione digna, legenda hac de re.

p. 529. l. 4. *Tametſi hoc jam vana ac ſera liberalitas erat, quoniam illi Angli poſt, audito Guilielmum Principem Arauſionenſem regem factum, &c. priſtinas ſedes repetebant.* Ex præcedentibus clarum vane & male autorem fuiſſe in his informatum.

p. 530. l. 3. [Ameſius] *tum aſſumtis ſociis* &c. *denuo proficiſcitur in Palatinatum, ac compellat Principem* &c. *verum non adeo princeps gaudebat iis auris, præter quod aures principis & ejuſdem oculi in iis rebus, quæ attinent ad religionem, ſenatus quoque eccleſiaſticus obſtabant* &c. *Ita illi alio, ſed tamen in hoc ipſo tractu, ſua curatum abeunt, & poſt varias circuitiones* Kirchemi, *prope Wormatiam, aliquos inveniunt agricolas, qui iis auditis ſe in eorum diſciplinam tradunt.* Non ingratum unquam fuiſſe Electori Palatino Ameſii aliorumque horum acceſſum plurimis eſt notiſſimum, neque ipſum Electorem in ejuſmodi rebus, quæ aliorum religionem ſpectant, ſenatui iſti eccleſiaſtico, uti autor putat, adeo aures ſolitum præbere; nam ſi quis ullus, ipſe certe erat pro libertate religionis nulloſque cujuscunque arcebat, ita ut Sabbatariis ita dictis, qui quoad mores Judæi, & quo ad fidem Chriſtiani, præcepta enim Moyſis in omnibus obſervabant, habitare in ſuis terris permitteret, qui etiam non niſi nunc a Gallis expulſi; ipſe etiam locus,

cus, cujus autor meminit, Ameſium ibi cum ſociis agricolas quoſdam inveniſſe &c. in ipſius erat ditione non *Kirchem* ſed *Griesheim* nomine.

p. 531. l. ult. *Suam illam patriam villaſque & caſas, quas vix furcis cerviſque ſuſtentabant, hi deſeruerunt.* Licet in bello iſto triginta annos inprimis Palatinatum vaſtante & hic locus devaſtatus fuit valde, nihilominus domicilia horum erant more Germanorum bene iterum reparata, nec ita miſera, uti autor ea deſcribit.

p. 532. l. antep. *In qua epiſtola Foxus aliquanto comptiori, quam ſolebat, genere orationis utebatur &c.* Unde autor certus per Foxum hanc epiſtolam & non per diſpenſatores atque amanuenſes, uti pag. 19. l. 29. loquitur, ſcriptam?

p. 534. lin. pen. *Ex his, nimirum in Holſatia, Mennonitis & qui ex hara Davidis Georgii, illi excurſores Quakeri nonnullos offendebant Hamburgi nec non Fredricopoli &c. qui ſe facile iis adjungebant.* Nullum inter Quakeros ibi ex Davidis Georgii hujus familia, aſt ex Mennonitis fuiſſe, eſt evidens.

p. 535. l. 18. *Fredricopoli urbis prætor &c. Quakerorum ſtatum turbare cœpit*, &c. *Remonſtrantes Amſtelodamenſes ac nominatim Ph. Limburgius &c. hoc graviter accipiebant, & pro illorum illibata libertate intercedebant* &c. *impetrabant.* Ante has literas mandato Ducis Holſatiæ ſuam Quakeri libertatem obtinuerant.

p. 536. l. 26. *Qua de epiſtola, quam [miſit G. Foxus ad Regem Poloniæ Johannem III.*

&

&c.] *curavit edi poſt mortem ſuam in ſuo longo diurno id operæ eſt annotare. Primum ſcripta erat in Anglia, Anglice. Deinde miſſa in Hollandia, atque illic reddita Germanice. Denique iſtinc tranſmiſſa ac tradita Regi &c. adferebantur annotatæ & delibatæ undique orationes ac ſententiæ, verſæ e Græca, Latina, Gallica, aliis linguis &c. Ad hæc erat epiſtola ſcripta ita, ut non unius ſingularis hominis, verum plurium, & alicujus multitudinis aut totius Quakerorum ſocietatis alloquium & monitum repræſentaret. Jam huic epiſtolæ ſubſcriptum erat ſolius G. Foxi nomen, idque ſolum, abſque ulla alia nota ac deſignatione perſonarum authoritatiſve, prorſus ut Foxus, ille vir illiteratiſſimus & ineruditiſſimus, qui præter libros Anglicos vulgares ullum alium inſpexerat nunquam, neque poterat legere, nollet vetaretque dubitari, compoſitam ſcriptamque eſſe hanc ponderoſam, confertam tanta copia doctrinæ & elaboratam tanto ſtudio atque induſtria, epiſtolam a ſe, & eſſe ſe eum, qui illos omnes libros legeret quotidie, & devoraviſſet, aut ſic ſcriptam a multitudine vel univerſa ſocietate eſſe eam, ut unius Foxi, hominis ſimpliciſſimi, judicio ſubjeciſſent, atque ita demum ratam firmamque habuiſſent, ſiquidem Foxo placuiſſet, & is illam ſui nominis magnitudine & auctoritate comprobaviſſet.* Hæc prolixius paululum ideo exhibentur, quo Lector pius videat & obſervet, ſicuti quodammodo ſupra p. 13. l. ult. & alibi de his mentio facta, Hiſtoriographum noſtrum plurimum omnes intendere nervos, uti ſtatim ab initio, ita uſque nunc prope ad finem, ubi

heic eſt cunctarum hactenus ab eo in Foxum editarum cavillationum, irriſionum, vel verius ignominiarum & ſæpe forſan calumniarum, inſtar ingentium abſurdiſſimorum criminum, quaſi anacephalæoſis, toti mundo Foxum ut hominem, neſcio qualem, vel pene nauci ad deridendum exponere. Quia autem idem hic autor noſter in ſua hiſtoria pag. 17. l. 7. etiamſi falſe, dicat: *Illius inventi, conſectationiſque* [ſc. Quakerorum] *princeps & ſuaſor & auctor fuit Georgius Foxus*; conſideret porro idem Lector, judicetque, ſi lubeat, an non hic autor ſecundum tritum iſtud: *Qualis rex, talis grex*; eo ipſo ſingularis ſubtilitatis ſtudio, modo non calliditatis ac aſtutiæ, quam maxime nitatur & audeat, non adeo Foxum, ut Foxum, tanquam privatum & particularem quempiam, ſed præcipue, ſi poſſit, ita & per conſequens, totam Quakerorum ita dictorum cœtum Lectoribus ſuis ſimul cum Foxo & propter Foxum ad deridendum &c. exponere, neque autorem expendere quo jure quave injuria in utroſque ipſe agat? Quemadmodum autem in præcedentibus ſæpius oſtenditur, autorem tantam non habuiſſe cauſam ita vehementer in Foxum invehi, ita & in hac epiſtola potiſſimum. Ipſe enim valde ægre fert, quod hæc epiſtola tantummodo a Foxo fuerit ſubſcripta, & in ſuo diurno, alias Anglice a Journal/ cujus ſupra pag. 48. in not. ad pag. 89. l. 15. mentio facta, quod longum ob quam plurima pie peracta & ibi notata non niſi juſte & merito vocat, contineatur. Eſto a pluribus aliis & variis ad eam epiſtolam con-

ſcri-

ſcribendam multum ſtudii & laboris fuiſſe adhibitum, aſt Foxum perſuaſorem eorum & ejus, ergone iſti debuiſſent omnes ſua nomina ſubſcribere? quæ quæſo in his ratio? cum hoc etiam penes alios non ſit infrequens. Inter Pontificios habemus Kircherum, quot volumina, non epiſtolæ, prodiere ſolum ſub ejus nomine, cum certum ſit in quamplurimis Jeſuitarum cœnobiis ab aliis ſuis fratribus & ſociis multa eſſe compilata, & conſcripta? Et quid peccaverit Foxus eandem epiſtolam, cujus ipſe, licet non quoad circumſtantias, attamen quoad rei ipſius originem fuit autor & ſuaſor, ſuis aliis inſerere ſcriptis, ne ſcilicet tale *ponderoſum, confertum tanta copia doctrinæ, & elaboratum tanto ſtudio atque induſtria*, aſt, quod magis, pium ſcriptum memoriæ excidat? Plura tali in re frigida & levi adducere pudet me. Ita ut nullo modo, niſi omnino illicito, extorquere, quod vult, autor valeat, nimirum Foxum, *hominem*, ut autor loquitur, *ſimpliciſſimum & virum illiteratiſſimum & ineruditiſſimum* &c. *noluiſſe vetuiſſeque dubitari eam compoſitam eſse a ſe epiſtolam* &c. vel, ut paucis multa dicam, inſignem in hiſce ſuam quæſiviſſe gloriam; cui tamen nil minus unquam cordi, quam ejusmodi vanitates. Aſt ſæpiſſime accidit quod alius alium ex ſuo ingenio judicat, aut exiſtimatione præſumpta, affectibus, ſtudio partium &c.

P. 538. l. 16. *A quo tempore Foxus novam ad regem ſcribebat epiſtolam &c. nunc plane in ſcribendo ſuus &c. ſed non ita probata regi epiſtola hæc.* Imo maxime probata fuit, nam Rex

Rex eadem (quæ in Latinum ſermonem tranſlata erat) ter perlecta, Abbati adſtanti dixiſſe fertur: *Quis veſtrum talem epiſtolam conſcribere poſſit? ſane huic populo libertatem concedere fas eſt.* &c. Et brevi poſt captivi carcere liberati.

Ib. l. 25. *Hi Quakeri uſque in præſens tempus prædæ atque ludibrio incolis pene omnibus.* Et ſi ſint, quamvis non ſint, numne ideo ipſi pejores, cum & in hiſce primævis Chriſtianis ſint perquam ſimiles.

p. 539. l. 9. Pietiſtas, *& quos multi habent ut Quakerorum &c. propagationem & ſobolem*; Rectius & melius ſi ita hoc interponatur: *quos multi*, ſed admodum male, *habent* &c.

p. 545. l. 20. *In his frequentandis collegiis*, nimirum *Philobiblicis*, *ardor erat tantus*, *ut ſtudioſi quidam gymnaſia publica privataque* &c. *contemnerent* &c. Erant in iſtis temporibus collegia multa, in quibus concionandi ars edocebatur, quamplurima alia metaphyſica & ſimilia ſecundum Ariſtotelis potiſſimum tradita &c. Studioſi autem animadvertentes vanitatem horum, perniciemque & temporis pertitionem, ſentientes autem interne per iſta collegia philobiblica majus & magis pium incrementum in cognitione divinarum rerum & vitæ emendationem, relinquebant iſta & frequentabant hæc; hoc irritabat & incitabat profeſſores illorum contra horum cultores & ſic iſte, qui adhuc in Germania ſuperiori viget, excitabatur inter Lutheranos tumultus.

p. 551. l. 24. *Hæc communis omnium opinio & exprobratio & irriſio, eſſe homines hos* [Pietiſtas] *Enthuſiaſmi veteris imitatores, aut inventores*

ventores novi, eſſe utique Quakeros, & horum per omnia doctrinam & inſtituta, omnium complementum hæreſium, ſequi, cum tamen omnes, aut plerique, quænam illa Quakerorum hæreſis & dogmata & decreta eſſent, etiam vix ſcirent. Hoc haut novi aliquid, ita enim & olim accidiſſe refert Tertullianus de teſtim. anim. his verbis: „ Hactenus ſapiens & prudens habebi„ tur, qui prope chriſtianum pronuntiaverit, „ cum ſi quid prudentiæ aut ſapientiæ affecta„ verit, ſeu ceremonias deſpuens, ſeu ſecu„ lum evincens, pro Chriſtiano denotatur. c. m. 1. p. 64. B. Si inſuper autor vocabulum hæreſis, quod alias ſecta, & ipſe ex ſuo apponit, aliter, quam in bonam partem accipiat, hoc certe facere haut poteſt abſque exiſtimatione præſumpta, affectibus, ſtudio partium.

p. 553. l. 4. *Poſtquam Horbius inter ſuos catechumenos libellum, non a ſe, ſed ab alio ſcriptum de elementis inſtitutionis Chriſtianæ puerilis diſtribuiſſet.* Erat Poiret ſcriptum Gallicum: *De l'education des enfans*; Id quod, uti plerique volunt, ipſe inſcius, quis ejus autor, in Germanicam linguam tranſtulerat, & modos nonnullos loquendi Lutheranis nonnullis Theologis ſuſpectos, imo hæreticos, quos alii myſticos vocant, retinuerat.

p. 554. l. 9. *Quamobrem Horbius &c. maluit ſuo miniſterio atque urbe excedere* &c. Imo ad id compulſus & coactus citra ſuam voluntatem.

p. 555. l. 13 *Inter hæc haut omittendum, Quakeros alibi conſiſtentes, nihil prætermiſiſſe, in quo putabant ſibi aliquid in ſuam quod eſſet rem,*

eſſe

eſſe faciendum in hac hominum commotione, diviſioneque. Sed quia autor ne minimum quid oſtendit, quid iſtud ſit, *quod Quakeri alibi conſiſtentes non prætermiſerint*, vel *quid putaſſent in ſuam quod eſſet rem*, ideo per commode hæc: *inter hæc &c.* potuiſſent omitti. Nam ſi autori placuiſſet rationem hujus ſui: *inter hæc &c.* aut his præponere aut ſtatim iis apponere, quam iſte tum demum ib. l. 24. profert his verbis: *Teſtantur verba epiſtolæ cœtus anniverſarii anno ſuperiori habiti Londini, ſcriptæ ad univerſas Quakerorum eccleſias, quæ hæc erant: eſſe concilio ſpem cogitationemque, futurum, ut Lutheranorum illæ in iis locis inter ſe diſcrepantiæ exeant in majorem veritatis in iis partibus detectionem promotionemque;* tunc res fuiſſet clarior. Nihilominus eſtne in his aliquid quod Quakeri alibi conſiſtentes non prætermiſerint, in quo putarent ſibi aliquid in ſuam quod eſſet rem faciendum? Iſti enim loquuntur heic clariſſimis verbis de veritate, non de ſemetipſis; & ſub veritatis vocula, nil aliud intelligunt, quam ipſum, qui ſemetipſum veritate nominavit veritatem, nempe Chriſtum Jeſum, ejuſque doctrinam. Et hæc ipſorum ſpes & cogitatio minime fuerit, certo reſpectu, vana; veritatis enim iſta doctrina inter iſtos Lutheranos in multis rebus quam maxime emicuit, & propterea iſtorum nonnulli duriter perſequuti & iniqua paſſi, nimirum per egregia indicia affirmantes inter alia: de Dei in homine inhabitatione; de regimine Chriſti & Spiritus Sancti interno; de maxima vitæ Chriſtianorum ad imitationem vitæ Chriſti, Sanctorum &c. neceſſitate &c. Et hæc

& ſimilia non a Quakeris, ſed a Deo ſunt, neque ab iis noviter inventa aut excogitata, ſed ſemper in N.F. piorum & fidelium omnium fides & experientia. Cum ergo res ita ſeſe habeat, quomodo fuerit autori noſtro poſſibile ex ipſis in concilio iſto Angliæ per iſtum adductis ſupra verbis velle probare & in teſtimonium veritatis ea adducere, quæ ibi lin. 19. ita ſcribit: *Certe ipſis ex hoc tempore in illis locis quandam ſpem fuiſſe injectam, eorumque quandam commotam lætitiam, fieri poſſe, ut exiſterent qui de Quakerorum doctrina benignius judicarent, forte & animos ad eos adjicerent, teſtantur verba &c.*

Quo autem vere videamus, an hæc verba concilii Londinenſis Quakerorum tantum teſtari valeant, quantum autori placet, redigamus omnia in hunc ordinem: *Verba epiſtolæ cœtus anniverſarii anno ſuperiori habiti Londini, ſcriptæ ad univerſas Quakerorum eccleſias hæc erant: Eſſe concilio ſpem cogitationemque, futurum, ut Lutheranorum illæ in iis locis inter ſe diſcrepantiæ exeant in majorem veritatis in iis partibus detectionem promotionemque:* Ergo *hæc verba teſtantur: Certe ipſis* [Quakeris] *ex hoc tempore in illis locis quandam ſpem fuiſſe injectam, eorumque quandam commotam lætitiam, fieri poſſe, ut exiſterent, qui de Quakerorum doctrina benignius judicarent forte & animos ad eos adjicerent.* Et poſtmodum & aliud ergo, nempe, ergo *inter hæc haut omittendum* &c. Ex quibus clarum; hæc concilii verba nil minus eſſe quam teſtimonium verborum autoris, verba autem autoris potius ſaltem paraphraſin quandam verborum concilii, ſed haut convenientem cum concilii ſpe & cogitatione,

ne, ut quod ſaltem univerſaliter veritatis mentionem faciat.

p. 557. l. 11. *Jacobum Bohæmium*, *dictum Teutonicum.* Communiter addunt, aut ſub intelligunt: Philoſophum.

p. 566. l. 20. Eduardus Burrougius & Samuel Fiſherus Duynkerkam *petunt* &c. *redeunt in patriam Angliam*, *fugientes quam videbant impendere procellam.* Hæc *fugientes &c.* autor ex ſuo, contra ſuum ab initio promiſſum, ideo male, appoſuit. Nam uterque & *Fiſherus* & *Bourrougius* ſuis actionibus imo morte ipſa oſtenderunt, ſe nullas ob veritatis amorem procellas timere nec fugere: & quis hominum fuit, qui autori noſtro hæc dixit? aut ipſe forſan divinavit?

p. 567. l. 18. *Fugit ac repetit Angliam* Catonus. Ejuſdem prædicamenti cum antecedenti.

p. 568. l. 3. *Ejus libelli principium penes* Criſpum *fuiſse non dubitandum &c. ſed quoniam conſcriptus Gallice*, *certum fuiſse tranſlatum*, *& credibile*, *multum auctum fuiſse & expolitum ab alio.* Aliis nullatenus credibile, norunt enim certo non aliter ſe habere, in quorum ſcilicet autographum eſt manibus, & qui nitidum ſcriptoris ſtylum norunt.

p. 569. l. 10. *Heſter Bidlæa.* Quæ ab autore de hac muliere in hiſce proferuntur, cum nihil faciant ad rem aliorum, ut a quadam privata & ſingulari, ita niſi contrarium ſuis ab initio promiſſis animum habuiſſet, omnino a relatione hujus hiſtoriolæ abſtinuiſſet, cujus rei gratia ipſe a nonnullis non abſque evidenti ratione rogatus. Sed tempora mutantur &c.

p. 571. l. 21. *Cui* [Heſter] *in hac re fidem non eſſe derogandam Quakeri putabant*, &c. Nimis ſecure hæc ſunt aſſerta, quoſdam autem fuiſſe non negandum, ſed qui? & quot? ergo non omnes.

p. 574. 12. *Alii duo injecto metu fuga ſe ſubduxerunt*, Qui ſunt hi duo?

p. 576. l. 17. *Eæ* mulieres *iter ad eadem loca, eandemque pro annuntiatione propagationeque religionis ſuæ laudem & gloriam dirigebant.* Tantum abeſt, has mulieres ullam ſibi in his gloriam laudemque quæſiviſſe, uti cœlum a terra, ſed quodcunque fecere, ob ſolius Dei gloriam hominumque emolumentum factum. Id quod & hujus tandem Scripti primarius

FINIS.

Errores qui propter autoris abſentiam in hoc ſcripto irrepſerunt, cunctos notare, nec nunc feſtinans ob multas rationes permiſit calamus, ſed ſolummodo ſequentes, quos Lector benevolus cum cæteris ipſi in hoc occurrentibus, ut ignoſcere & corrigere placeat, obnixe rogatur.

p. 2. lin. pen. næ. p. 3. l. 23. ſtitiſſet. 4. 20. Præſumptæ. *& ſic ubivis*. 5. 11. honeſtiſſimos. 23. certamina. 9. 13. Tremite. 28. Et ſi. 31. fiducia. 11. 30. ſuaque. 12 10. l. 7, 8, 9. 13. 6. aſſentiunt. 27. præcipue. 14. 1. opportunitate. 16. ult. etiamſi. 17. b. 7. quæque. a 30. etiamſi 19. b. 14. inverſo. 21. 16. pro vocabula, literas. 28. Foxo. 31. maximo. 24. 7. quæ a. 22. mi, 25. a 21. 15. 10. ſibi. 13. l. 7. *& ſic alibi ſemper*. 29. mera. 27. 1. fit 28. controverſaretur. 31. 13. extitit. 32. 3. & ad 10. Fiſheri. 25. pro iſti, ſibi. 34. 26. aut an. 27. impoſuerit. 35. 21. pro fidelibus, credentibus. 32. ſuæ. 36. 7. altercatio 8. ſtudio partium. 11. ſcripturam. 37. 4. ſimilibus. 12. que judicio. 39. 1. Synodos. 41 12. p. 73. 42. 14. quæ. 43. 17. conſcientiam eſt. 34. 17. l. 7. 44. 25. natura. 45. 21. Quid. 46. 10 eſſet unius. 49. 1. Quod. 51. 22. tradu- ult. propagaretur. 52. 7. aucti. 53. 26. tædioſum. 55. 26. infallibile eſt. 30. craſſiſſimum. 57. 21. omnes. 61. 4. Scholis. 62. 18. eccleſiaſticis. 63. 19. notiſſimum ſit. 65. 10. pro p. 117. leg. Ib. 69. 6 pro 118. leg. 119. 71. 4. Tatia-. 72. 8. admiſſos. 73. 26 omiſſæ. 74. 21. ſacco. 25. iiſdem rebus. 29. Quanquam. 75. 4. facta. 76. 17. ipſique. 78. 4. animo. 79. 26. parcam. 81. 11. debit autor. heic? 82. 5. quæſiverit. 82. 12. juratorum 85. 14. nam quam. 86. 15. afflictionem. 89, 7. vocabitur. 90. 14. fue-. 91. 27. chriſtianis. penult. factique. 92. 9. affecti. 30. attritum. 93. 4. has. 13. mundana, adulatoria. 22. tangerentur. 30. ſimilia exempla. 31. pag. 130. l. 16. 96. 7.

vehi.

vehi. 99. 27. vulnerabatque. 100. 3. Sul-. 4. Biſhopius. 101. 26. inſtituimus. 103. 6. qui abſque. 15. Pharmacopœi. 104.29. ſuam. 105.18. præmatura. 108. 21. imperitæ. 109. 14. ad pag. 111. 22. crebras. 115.23. nimirum. 119.30. mundana. 121. 17. Nam cum terras quaſdam Penni Parens. 23. confiſcatæ fuerant. 122.20. Sociniani. 123.8. ſufficeret. 126. 16. nunquam. 130. 24. pro ipſi, ſibi. 133.31. hæc. 134.13. ad huic reſp-. 135.26. ſupra. pag. 126. 139. 14. non 141. 2. peregrinas. lin. antep. pro fine, ſine. 145. 8. conveniundi. 150. 8. in ſomno. 151. 5. hac in.

Hæ dilucidationes Auctorem habent Kohlhansium Medic. doctorem et ex Lutherano Quakerum v. Mosh. Inst. H. E. Sæc: 17. S. 2. P. 2. C. 1. §s. n. y.

ωL

05874

DA696
K79d